Ad. S. Ioanni [illegible] D. D.
+ J. B. Episc. Brugen.

STATUTA
DIOECESIS BRUGENSIS,

DILIGENTER RECOGNITA, EMENDATA

ET DENUO EDITA JUSSU

ILLUSTRISSIMI AC REVERENDISSIMI DOMINI

JOANNIS-BAPTISTÆ MALOU,

EPISCOPI BRUGENSIS XIX

BRUGIS,
TYPIS VANHEE-WANTE, EPISC. BRUGEN. TYPOG.
1854.

STATUTA

DIOECESIS BRUGENSIS,


DILIGENTER RECOGNITA, EMENDATA

ET DENUO EDITA JUSSU

ILLUSTRISSIMI AC REVERENDISSIMI DOMINI

JOANNIS-BAPTISTÆ MALOU,

EPISCOPI BRUGENSIS XIX.



BRUGIS,

TYPIS VANHEE-WANTE, EPISC. BRUGEN. TYPOG.

1854.

JOANNES-BAPTISTA MALOU,

DIVINA MISERICORDIA ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA,

EPISCOPUS BRUGENSIS,

UNIVERSO CLERO DIOECESIS NOSTRÆ,

SALUTEM IN DOMINO.

Quia sacerdotes, sacro ministerio addicti, decreta conciliorum in quibus officia sacerdotalia singillatim præscribuntur, ob multiplices in vinea Domini labores, commode evolvere, et facile mandare memoriæ non possunt, usus jamdiu obtinuit ut Episcopi in synodis diœcesanis, ex universalibus Ecclesiæ legibus, et propriis decretis ea disciplinæ ecclesiasticæ capita decerpant quæ pro rerum et temporum adjunctis clero suo maxime inculcanda esse existimant, atque veluti *Statuta diœcesana* ab omnibus clericis et sacerdotibus fideliter ob-

servanda promulgent. Ita efficiunt ut tota ratio vitæ sacerdotalis et ecclesiasticæ disciplinæ norma, paucis paginis descripta, quasi uno ictu oculi ab omnibus sacerdotibus conspici, et nullo fere labore ab ipsis memoriæ mandari possit.

Hoc commodum clero Brugensi olim procurarunt venerabiles prædecessores nostri. Exstant enim *Decreta et statuta primæ synodi diœcesanæ Brugensis*, quæ Remigius Driutius, secundus Episcopus Brugensis, die 13 Februarii anni 1571 edidit; exstant pariter *Statuta diœcesana*, quæ Gulielmus De Bassery, Episcopus Brugensis XIII, post visitatas omnes suæ diœcesis paræcias, die 16 Junii anni 1693, in congregatione decanorum christianitatis promulgavit. Volebat nempe pius Episcopus, ea quæ a prædecessoribus suis sanctissime fuerant constituta, reno-

vare et confirmare, et ea præcepta quæ ad executionem SS. conciliorum, maxime autem Tridentini, spectarent, antiquis decretis addere. Ideo, « registra, ait, decretorum episcopalium omnia evolvimus et in epitomen redegimus; ex quibus exoleta quædam seposuimus, quæque his temporibus nimis ardua videri possent immutavimus, et minus clare posita explicuimus; varia etiam decreta addidimus quæ videbantur apponenda, ac in ordinem digessimus, ut faciliorem ac commodiorem omnium, utpote antea in diversis registris dispersorum, usum redderemus, omnesque sic paratas conjunctasque haberent leges, quas tum in animarum sibi commissarum regimine, tum in formanda vita sua sequerentur.»

Statuta hæc, cum adjunctis novis articulis distincto caractere exaratis, denuo legit et publicavit in congrega-

tione decanorum, die 30 Decembris anni 1765 habita, Joannes Robertus Caïmo, Episcopus Brugensis XVI : iisdem præmisit decreta et statuta a Driutio sancita, et addidit instructiones pro confessariis et concionatoribus, cum aliis non nullis documentis clero utilibus vel necessariis.

In parte hodiernæ diœcesis Brugensis quæ olim jurisdictioni Episcopi Yprensis subjecta erat, vim legis obtinebant *Statuta synodi diœcesanæ Yprensis* a Martino Rithovio, primo Episcopo Yprensi, die 21 Maii anni 1577 celebratæ, quibus postea accesserunt *Statuta synodi diœcesanæ* quam Carolus Masius, die 4 Novembris anni 1609 habuit, et *Statuta et ordinata* a Georgio Chamberlain, die 2 Octobris anni 1629 et anni 1630 edita, et *Decretum circa ordinandos*, quod Henricus Van Halmaele, Episcopus Yprensis, die 22 Fe-

bruarii anni 1673, promulgavit (1).

Postquam nonnulla ex his statutis obsoleta essent, et conditio temporum nova præcepta postulare videretur, a Felice Josepho Huberto De Wavrans, penultimo Episcopo Yprensi, die 3 Februarii anni 1768, edita est et promulgata *Instructio pastoralis ad universum clerum tam sæcularem quam regularem, quæ præter varias ordinationes et dispositiones, quas pro temporum circumstantiis et ad pleniorem morum ac disciplinæ ecclesiasticæ in sua diœcesi institutionem præscribit, etiam synodales constitutiones, ac prædecessorum suorum Decreta confirmat, innovat et mandat ab omnibus observari respective.*

Instructio hæc tota, non tantum e synodis diœcesanis Yprensibus et Epi-

(1) Vid. *Statuta in synodis episcopatus Yprensis, et Decreta per Rev. Dominos Episcopos ejusdem reimpressa.* 12° Antverp. 1673.

scoporum Yprensium decretis, sed etiam e conciliis Tridentino, Mechliniensibus, et Mediolanensibus S. Caroli Borromæi, ac aliis disciplinæ ecclesiasticæ fontibus purissimis hausta et composita est, adeo ut veluti lucidissimum vitæ sacerdotalis speculum et absolutissima muneris pastoralis lex haberi possit.

Nemini igitur mirum videbitur, si Ill. ac Rev. D. Franciscus-Renatus Boussen, venerabilis prædecessor noster, nova *Statuta diœcesis Brugensis*, quæ post visitatam semel universam diœcesim suam, anno 1838 clero suo observanda præscripsit, majori ex parte, ab Instructione pastorali Felicis Josephi De Wavrans mutuatus sit. Porro id adeo feliciter est executus ut Statuta hodierna diœcesis Brugensis brevitate, concinnitate, selectis monitis et salubribus præceptis vere con-

spicua, nostris temporibus sint accommodatissima et ab annis quindecim quibus in hac diœcesi vigent, fructus in clero uberrimos protulerint.

Itaque statim ac de nova editione Statutorum Brugensium, prima scilicet exhausta, nobis cogitandum fuit, intelleximus, curam nostram in eo tantum versari debere, ut ea quæ, præcipiti forte calamo, minus feliciter olim fuerant expressa, planis et perspicuis adhibitis verbis, majori in luce nunc collocarentur, et iis, quæ decursu temporis per indulta pontificia, aut decreta diœcesana, jam pridem fuerant immutata, prudenter mutatis, pauca admodum præcepta nova adderemus, et omni qua pollemus auctoritate et qua angimur sollicitudine, dilectum Nobis in Christo clerum Brugensem, ad observanda antiqua Statuta hortaremur.

*

Quæ autem mutata vel addita sunt, ad hæc fere capita reducuntur :

1° Pastores animarum debent deinceps offerre S. Sacrificium pro grege suo, etiam in festis per indultum Pii VII (de 9 Aprilis anni 1802) quoad solemnitatem in populo abrogatis, ut S. Congregatio Concilii declaravit.

2° Abstinentia a carnibus in festo S. Marci et in diebus rogationum, quæ olim servabatur, per triennalem dispensationem, in posterum renovandam, ut speratur, saltem ad tempus est abrogata.

3° Fideles, qui dispensationem petere voluerint, dispensari possunt ab abstinentia a carnibus, in sabbatis, in quibus lex jejunii non obligat, ut fuse explicatur in Epistola encyclica Episcoporum Belgii, data die 27 Julii anni 1853.

4° Decanis concedimus facultatem

dispensandi in die intermedio qui hactenus requirebatur inter ultimam proclamationem bannorum et solemnitatem matrimonii, nisi jam dispensatio concessa fuerit in secundo et tertio banno.

5° Decreta in synodalibus congregationibus decanorum hactenus edita utpote præsentibus ecclesiæ necessitatibus aptata, confirmavimus et fideliter observanda præscripsimus; volumus insuper ut decreta hujusmodi in posterum edenda, veluti partes statutorum deinceps suscipiantur et observentur.

Ceterum vehementer optamus ut liber statutorum non tantum in bibliothecis clericorum et sacerdotum diœcesis nostræ reponatur, sed etiam, et maxime quidem, ut in eorum memoria fideliter describatur, et in universa eorum agendi ratione quasi vivus exhibeatur. Nam si vel hæc statuta ab

omnibus ad litteram servarentur, nihil profecto, nec a S. Matre Ecclesia, neque a Nobis, in vita dilecti Nobis in Christo cleri desiderandum superesset. Id ut cum Dei gratia aliquando consequamur, consulimus omnibus diœcesis nostræ clericis et sacerdotibus ut singulis saltem mensibus unum articulum tituli primi Statutorum, in quo de vita sacerdotali recte instituenda agitur, pro argumento meditationis suæ, per unum diem, vel per unam hebdomadam eligant, quo perpenso, seipsos interrogent utrum vitam suam præscriptæ regulæ composuerint nec ne? et deinde ea sibi coram Deo facere proponant, quæ sui officii esse intellexerint. Ex hujusmodi exercitio, fructus salutis uberrimos certissime nanciscentur, et in perfectione sacerdotali assequenda plurimum proficient.

Et quia de vita sacerdotali hic nobis

sermo est, non possumus quin iterum universo clero commendemus super omnia quotidianam meditationem, et librorum asceticorum lectionem, confessionem octiduanam, recollectionem menstruam, excercitia spiritualia annua et studia theologica.

Præterea semper memores sint horum apostoli verborum, quæ præcipue ad clerum spectant : *Nolite conformari huic sæculo*, nempe in luxu supellectilis et habitus; in superbia quæ humilitati, mansuetudini et modestiæ clericali adversatur; in avaritia aut prodigalitate, quibus pauperes eleemosynis defraudantur, et fidelis populus offenditur ; in commessationibus et compotationibus frequentandis; in familiaritate cum sequiori sexu; in amicitia cum publicis ecclesiæ catholicæ hostibus. Hæc enim omnia dedecent sacerdotem , et spiritus ecclesiastici

moribundi, si non mortui, certa indicia præbent.

Nobis etiam maxime in votis est ut omnes sacerdotes caritate fraternitatis se invicem diligant, et super omnia mutuam caritatem habeant. *Mandatum novum do vobis*, ait Christus Dominus, *ut diligatis invicem, sicut dilexi vos... In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis si dilectionem habueritis ad invicem* (JOAN. XIII. 34. 35.). *Si ergo offers munus tuum ad altare*, dicit alibi Salvator noster, *et ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adversum te; relinque ibi munus tuum ante altare, et vade prius reconciliari fratri tuo, et tunc veniens offeres munus tuum* (MATT. V. 23. 24.). *Si quis dixerit*, ait discipulus quem diligebat Jesus, *quoniam diligo Deum, et fratrem suum oderit, mendax est* (I JOAN. IV. 20.). *Qui non diligit, manet in morte* (I JOAN. III. 14.).

Alter alterius igitur onera portemus, et sic adimplebimus legem Christi.

Optamus etiam ut sacerdotes omnes officio suo rite fungantur. Parochi singulis dominicis, vicepastores saltem singulis quindenis in ecclesia concionem habeant. Concio ipsa sit semper lucida, solida, brevis, bene præparata; vitia quæ dominantur in grege, prudenter, sed cum zelo impugnentur, et abusus de medio tollantur. In cathedra de rebus profanis aut politicis, de agendi ratione magistratus civilis, aut de dissidiis in parochia exortis non fiat sermo unquam. Catechesis cum magna cura et sollicitudine, prout solet, instituatur; scholæ dominicales, congregationes, confraternitates, conferentiæ S. Vincentii a Paulo, et bibliothecæ bonorum librorum, veluti instituta ab Ecclesia catholica, his nostris temporibus maxime

probata, omni qua fieri poterit arte foveantur; visitatio scholarum quotidianarum fiat, ut Statuta diœcesis jubent, et zelus animarum suadet; moneantur ludi-magistri ut moribus suorum discipulorum diligenter invigilent. Visitatio parochiæ quæ post festa paschalia fieri solet nunquam a pastoribus omittatur aut negligatur. Libertatem confitendi maximam sacerdotes quibus cura pastoralis incumbit fidelibus relinquant et procurent; nec ægre ferant si pœnitentes sui alios sacerdotes confitendi gratia libentius adeant. Ne moribundi extremis sacramentis priventur unquam, non exeat pastor e parochia quin vicepastorem, vel alium sacerdotem qui vices ejus agat, admonuerit, nec vicepastor exeat sine licentia pastoris. Id ni faciant, fieri potest ut gravissime peccent.

Tandem sacerdotes omnes pro viri-

bus consulant decori et majestati divini cultus, præcipue in minoribus parochiis et in ecclesiis pauperibus, in quibus ob inopiam fabricæ, non facile est expensas magnas facere. Expensis et ornamentis suppleat zelus cleri, et solemnitas officii. Non arduum videatur, exempli gratia, vicepastori, etiam sine mercede pecuniaria, in mense Mariano, in octava SS. Sacramenti, in festo Assumptionis B. M. V. assistere pastori in laudibus vespertinis, concionem aliquando instituere, et cantum solemniorem adhibere. Sic enim non cadet animo pastor si cooperationem sui vicepastoris in hujusmodi rerum adjunctis non frustra petat; nec populus christianus scandalum patietur, quod profecto pateretur si, exempli causa, videret processionem fieri, aut officia solemnia, absente vicepastore, in ecclesia celebrari. Zelus igitur do-

mus Dei comedat nos, ut quidquid ad splendorem cultus Dei, et gloriam Salvatoris nostri Christi tendit, libenter exsequamur.

Quamquam Statuta diœcesis, quæ ad tanta bona procuranda promulgata sunt, maxima auctoritate gaudeant, vel ex eo capite quod e sacra Scriptura, e libris SS. Patrum, canonibus conciliorum et prudentissimis prædecessorum nostrorum decretis magna ex parte deprompta sint, nihilominus quo salubriora evadant clericis et sacerdotibus omnibus etiam regularibus, in quantum ad ipsos spectant, sub virtute sanctæ obedientiæ præcipimus ut hæc Statuta diœcesana, ubi vim præcepti habent, fidelissime observent; et eos hortamur ut quæcumque ad populi Dei, et ipsius cleri ædificationem facienda aut omittenda in iisdem Statutis proponuntur et suadentur, con-

tinuo faciant aut omittant. Et ne quis eorum præcepta hæc ignorare deinceps censeri possit, volumus ut omnes clerici et sacerdotes, qui eadem observare tenentur, librum Statutorum singulis annis saltem semel attente legant; et quicumque ad examen annuum, vel ad concursum appellantur, respondere teneantur quæstionibus quæ ex libro Statutorum solvendæ proponentur.

Ut autem media hæc externa nos ad perfectionem sacerdotalem atque ad portum salutis usque perducant, sæpe invocemus Deum Patrem omnipotentem, et Salvatorem nostrum Jesum, qui dedit semetipsum redemptionem pro nobis, ut gratia Dei abundet in cordibus nostris, et consequamur a Patre luminum, a quo descendit omne donum perfectum, perseverantem in veritate et sanctitate voluntatem. Non tantum

auribus sed etiam cordibus nostris perpetuo insonent hæc apostoli verba : *In omnibus teipsum præbe exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in gravitate* (AD TIT. II. 7.). *Sollicite cura teipsum probabilem exhibere Deo, operarium inconfusibilem, recte tractantem verbum veritatis* (II TIM. II. 15.). Hæc si præstiterimus et illa pace fruemur quam Christus Dominus discipulis suis in terris promisit, et jamjam supremo Judici transactæ vitæ rationem reddituri, quasi Episcopo animarum nostrarum labores pro salute populi et nostra susceptos cum fiducia offeremus, exclamantes cum propheta : *Memento mei, Deus meus, in bonum, secundum omnia quæ feci populo huic* (II ESDRÆ. V. 19.).

Datum Brugis, 25 Martii 1854.

† JOANNES-BAPTISTA, EPISC. BRUG.

FRANCISCUS-RENATUS BOUSSEN,

DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA

EPISCOPUS BRUGENSIS,

UNIVERSO CIVITATIS ET DIOECESIS CLERO SALUTEM ET BENEDICTIONEM.

Magnam curam et sollicitudinem adhibuerunt Prædecessores nostri, ut gregem dominicum, pastorali curæ suæ commissum, verbo et exemplo pascerent, atque ut disciplinam ecclesiasticam saluberrimis legibus inconcusse stabilirent. Nos vero, pro viribus conantes tantorum virorum vestigia premere, ex quo ad hujus diœcesis regimen promoti sumus, nihil avidius exoptavimus quam ut paternis monitis et salutaribus decretis dilectum clerum et populum Nobis concreditum, in viam salutis perducere et in ea confirmare possemus.

Et vero per sedulam omnium diœcesis nostræ parochiarum visitationem, modo feliciter absolutam, perspicue Nobis innotuit, quid in diœcesi reformandum, quid innovandum, quid vero esset stabiliendum. Quæ proinde cognitio induxit animum nostrum, ut adhibito consilio vener. dominorum christianitatis decanorum, nonnulla Statuta conderemus, et antiqua a Prædecessoribus nostris sapientissime constituta, renovaremus, quæ ad SS. conciliorum, maxime vero Tridentini, executionem conducerent, iis tamen omissis aut immutatis quæ exoleta essent; ut sic faciliorem et commodiorem eorum usum redderemus, omnesque diœcesis nostræ clerici paratas et conjunctas haberent leges, quas tum in animarum sibi commissarum regimine, tum in propria vita formanda, tuto sequerentur.

Statuta hæc, successive et per partes in annua congregatione ven. dominorum decanorum promulgata, ab omnibus et singulis diœcesis nostræ clericis fideliter servari volumus et jubemus; præcipimus vero christianitatis decanis, ut memores oneris sibi impositi, eorum executioni sedulo invigilent; pastores, vicepastores et alios sui districtus clericos, quos in iis observandis deficere deprehenderint, moneant, et si opus sit corripiant, contentiosos vero ad Nos deferant.

Denique Principem pastorum, J. C. exoramus, ut clerici Nobis subditi, novo zelo Nobiscum indefesse adlaborent conservationi disciplinæ, et animarum saluti, utque per legum istarum fidelem observantiam, *sobrie, juste et pie viventes in hoc sæculo;* et *forma facti gregis ex animo,* digne ambulent sua sanctissima vocatione, se-

cure *expectantes beatam spem et adventum gloriæ magni Dei, et Salvatoris nostri Jesu Christi.*

Datum Brugis, in Palatio episcopali, die 25 Julii 1838.

† FRANCISCUS, EPUS BRUGS.

De mandato Ill. ad Rev. D. Episc.

P. J. TANGHE, Secret.

STATUTA
DIŒCESIS BRUGENSIS.

PARS PRIMA.
DE PERSONIS ECCLESIASTICIS.

TITULUS I.
DE VITA ET HONESTATE CLERICORUM.

PRÆFATIO.

De externa conversatione clericorum, juxta concilium Tridentinum.

Cum tam ex officio nostro, quam ex concilii Tridentini præcepto, teneamur « monere clericos nostros, in quo« cumque ordine fuerint, ut conver« satione, sermone et scientia, com« misso sibi Dei populo præeant (1), » in primis omnes diœcesis nostræ clericos, cum ejusdem concilii patribus, universim hortamur atque obsecra-

(1) Sess. XIV. decret. *De reform.*

mus, quatenus « sic... vitam, mores-
« que suos omnes componant, ut ha-
« bitu, gestu, incessu, sermone aliis-
« que omnibus rebus nil nisi grave,
« moderatum ac religione plenum præ
« se ferant; levia etiam delicta, quæ
« in ipsis maxima essent, effugiant,
« ut eorum actiones cunctis afferant
« venerationem. Cum igitur, quo ma-
« jore in Ecclesia Dei et utilitate et
« ornamento hæc sunt, ita etiam di-
« ligentius sint observanda, statuit
« sancta synodus, ut, quæ alias a
« Summis Pontificibus et a sacris con-
« ciliis de clericorum vita, honestate,
« cultu doctrinaque retinenda, ac si-
« mul de luxu, commessationibus,
« choreis, aleis, lusibus, ac quibus-
« cumque criminibus, nec non sæcu-
« laribus negotiis fugiendis, copiose ac
« salubriter sancita fuerunt, eadem in
« posterum iisdem pœnis, vel majori-
« bus, arbitrio Ordinarii imponendis,
« observentur... Si qua vero ex his in
« desuetudinem abiisse compererint,

« ea quamprimum in usum revocari,
« et ab omnibus accurate custodiri,
« studeant; non obstantibus consue-
« tudinibus quibuscumque (1). »

Proinde, ut hæc omnia et alia similia quæ a concilio Tridentino, Summis Pontificibus et synodis provincialibus Mechliniensibus salubriter sancita fuerunt, ab omnibus et singulis nostræ diœcesis clericis fideliter observentur, sequentia duximus esse statuenda et statuimus :

CAPUT I.

DE HIS QUÆ A CLERICIS PRÆSTANDA SUNT.

ARTICULUS I.

De habitu ecclesiastico.

« Quia vero, etsi habitus non facit
« monachum, oportet tamen clericos
« vestes proprio congruentes ordini
« semper deferre, ut per decentiam
« habitus extrinseci, morum honesta-

(1) Sess. XII. cap. I. *De reform.*

« tem intrinsecam ostendant (1); » volumus et districte præcipimus, ut omnes et singuli sacris ordinibus initiati, in civitatibus vel oppidis suæ residentiæ tonsuram conspicuam, pileum triangularem, caligas nigras et collare ecclesiasticum, vulgo *rabat*, continuo gerant : ac præterea in publicum non procedant nisi induti toga talari seu subtanea veste, qua nempe clericalis modestiæ, gravitatis, continentiæ, totiusque perfectionis, quam præ se ferre debent, assidue commoneantur; togæ addant cingulum, et ceteras habitus ecclesiastici partes, quin unquam semiinduti, vel cum vestibus laceratis, per vias et plateas incedant.

Pastores vero et vicarii, aliive clerici in itinere constituti, vel ruri commorantes, si veste talari sine vero incommodo indui nequeant, habeant saltem vestes oblongiores nigri coloris, vulgari et simplici modo confectas, ita ut omni tempore et loco sta-

(1) Sess. XIV. cap. 6. *De reform.*

tus eorum cunctis innotescat; ostendantque se etiam quærere in habitu honestam decentiam, non sæcularem levitatem, cui, dum primum clericali militiæ nomen dederunt, solemniter renuntiarunt.

ARTICULUS II.

De vita sancta et exemplari.

Non sufficit tamen clericis habitum ecclesiasticum perpetuo deferre, nisi cogitent insuper a pluribus conciliis, et in primis ab Aquisgranensi et Lateranensi IV, sibi præcipi ut sanctitate et doctrina clarescant. — « Tam « doctrina quam vita clarere debet ec- « clesiasticus doctor; nam doctrina sine « vita arrogantem reddit, vita sine do- « ctrina inutilem facit (1). » — « Duo « sunt nobis necessaria, vita scilicet « et doctrina, alterum propter nos, « alterum propter proximos (2). »

(1) Conc. Aquisgran. anni 816.
(2) Conc. Lateranense IV. an. 1215.

Et sane « nihil est quod alios magis « ad pietatem et Dei cultum assidue « instruat quam eorum vita et exem- « plum, qui se divino ministerio de- « dicarunt; cum enim a rebus sæculi, « in altiorem sublati locum conspician- « tur, in eos, tamquam in speculum, « reliqui oculos conjiciunt, ex iisque « sumunt quod imitentur (1). » Hinc omnes diœcesis nostræ clericos, per viscera misericordiæ Dei nostri obsecramus et obtestamur, ut perpetuo præ oculis habeant exempla divini sui Magistri, qui, *potens in opere et sermone* (2), *cœpit facere et docere* (3); et monita Apostolorum ad ministros Ecclesiæ scribentium : *Pascite, qui in vobis est, gregem Dei... forma facti gregis ex animo* (4); *exemplum esto fidelium, in verbo, in conversatione, in caritate, in fide, in castitate* (5); *in omnibus te ipsum præbe*

(1) Conc. Trid. sess. XXII. cap. 1. *De reform.*
(2) Luc. XXIV, 19.
(3) Act. I, 1.
(4) I Petri V, 2 et 3.
(5) I Tim. IV, 12.

exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in gravitate (1); nec non dicta SS. Patrum, maxime S. Joannis Chrysostomi, qui sacerdotes alloquens, vitam eorum vult esse publicam scholam virtutum : « Sit com« munis omnium schola, inquit, exem« plarque virtutis vitæ tuæ splendor; « omnibus sit proposita ad imitandum, « velut primitiva quædam imago, o« mnia in se continens, quæ bona et « honesta sunt; » et S. Hieronymi, qui Nepotianum instruens : « Non con« fundant, ait, opera tua sermonem « tuum, ne dum in ecclesia loqueris, « tacitus quilibet respondeat : cur er« go hæc quæ dicis, ipse non facis?... « Sacerdotis Christi os, mens, manus« que concordent. »

ARTICULUS III.

De recitando divino officio.

Præter pium et frequentem sacramentorum Pœnitentiæ et Eucharistiæ

(1) Tit. II, 7.

usum, quotidianum examen conscientiæ, aliaque media quæ omnibus christianis necessaria sunt ut in virtute crescant et perseverent, sciant viri ecclesiastici unum ex præcipuis acquirendæ et conservandæ sanctitatis sacerdotalis medium, ab Ecclesia institutum, esse piam et ordinatam divini officii recitationem. Quare eos omnes hortamur, ut quotidianum hoc pensum, eo quo decet modo persolvant, *digne* nimirum, *attente* et *devote,* servatisque sacris ritibus et cæremoniis, quas Ecclesia ad hoc instituit, et ab omnibus religiose servari districte præcepit.

ARTICULUS IV.

De oratione mentali facienda.

Quantopere autem conferat ad piam divini officii recitationem, mentalis orationis exercitium, quo veluti cœlesti cibo anima impinguatur, Spiritui sancto conjungitur et ad Deum intime loquitur, perspicue significant ma-

gistri vitæ spiritualis, dum ejus neglectui adscribunt intolerabilem illam irreverentiam eorum, eheu non paucorum, qui perfunctorie et oscitanter divinum officium percurrunt. Sed si vel hac de causa viris ecclesiasticis familiaris et commendata esse debeat oratio mentalis, quanto majori studio illi incumbendum erit, si sine illo vix quisquam pertingere possit ad veræ solidæque pietatis metam, ad quam tamen assequendam sacerdotes omnes peculiari modo certissime obligantur? Quid vero si Ecclesiæ ministri, utpote populi duces et præceptores a Deo constituti, fideles curæ suæ commissos, ad divina meditanda et exhortari et docere debeant? Nonne ex meditatione præcipuam doctrinam suam et unctionem, oratori sacro necessariam, potissimum haurire tenentur? Quod nisi faciant, *desolatione* desolabitur *omnis terra : quia nullus erit qui recogitet corde* (1). Quum igitur clerici et sacer-

(1) Jerem. XII, 11.

dotes omnes ad hoc salutis et christianæ perfectionis subsidium adhibendum obstringantur, eos per sanctitatem status et ministerii sui obtestamur, ut non tantum singulis diebus semi horam vel saltem horæ quadrantem salutari huic exercitio impendant, piæque meditationi dent operam, sed insuper ut scientiam et methodum meditandi ipsi perfecte calleant, eam populo sæpe exponant, omnesque Christi fideles ad illius praxim excitent et adhortentur.

ARTICULUS V.

De exercitiis spiritualibus obeundis.

Denique, cum diuturna experientia compertum sit, ad retinendam conservandamque sacerdotalis ordinis dignitatem ac sanctimoniam, et ad officia, muniaque eis injuncta, fructuose et exemplari modo adimplenda, summopere conducere, ut viri ecclesiastici singulis annis, per aliquot dies, operam dent spiritualibus exercitiis,

quibus quidquid de mundano pulvere contractum est commode detergitur, ecclesiasticus spiritus reparatur, mentis acies ad divinarum rerum contemplationem attollitur, recte sancteque vivendi norma vel instituitur, vel roboratur : inhærentes Summorum Pontificum litteris et monitis, quibus hujusmodi exercitia spiritualia tantopere commendantur; omnes pastores, vicarios aliosque sacerdotes Nobis subjectos obsecramus et adhortamur, ut singulis annis intersint exercitiis spiritualibus, quæ quotannis in hac diœcesi clero traduntur.

ARTICULUS VI.

De scientia ecclesiastica acquirenda.

Cum e Scriptura sacra et Ecclesiæ ac Patrum doctrina compertum sit, sacerdotes Domini scientia pollere debere, et ecclesiastica munia non nisi cum injuria in Deum, Ecclesiæ dedecore, et salutis detrimento ab ignaris

exerceri posse, omnes diœcesis nostræ clericos in Domino adhortamur, ut necessariam sibi scientiam comparare et conservare satagant, ac proinde lectioni et studio sedulo incumbant.

Cum autem Scriptura sacra, utpote *divinitus inspirata*, præ ceteris *utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia : ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus* (1); ideo, « ne « cœlestis ille sacrorum librorum the« saurus, quem Spiritus sanctus sum« ma liberalitate hominibus tradidit, « neglectus jaceat (2), » lectionem et studium verbi Dei assiduum omnibus clericis nostris, sed iis maxime, qui confessionis et prædicationis ministerio se præparant, vel jam incumbunt, impensius commendamus et injungimus. « Sic autem sacros illos codices per« volvite, ait divus Bernardus, ut ex « iis quæ legeritis, aliquid quotidie

(1) II Tim. III, 16 et 17.
(2) Trid. Sess. V. cap. 1. *De reform.*

« in ventrem memoriæ demittatur, « quod fidelius digeratur, et sursum « revocatum crebrius ruminetur; quod « proposito conveniat; quod intentioni « proficiat; quod detineat animum, « ut aliena cogitare non libeat (1). »

ARTICULUS VII.

De studio theologiæ dogmaticæ et moralis instituendo.

Præter sacrarum Litterarum studium, nemo certe dubitabit, quin vir ecclesiasticus item assidue occupari debeat in theologiæ dogmaticæ, ac præcipue moralis, scientia acquirenda, quæ omnibus quidem, at iis præsertim quibus animarum cura commissa est, pernecessaria esse dignoscitur, ut fidem populo christiano exponere, et contra hæreticos ac incredulos propugnare valeant; atque etiam ut recte judicare queant *inter lepram et lepram* (2), et,

(1) St. Bern. *Ad fratres de Monte Dei.* c. 10.
(2) Deuteron. XVII, 8.

tamquam periti medici, animarum morbos curare, et apta cuique ægrotanti remedia applicare. Proinde satis non est, ut quis in seminario sacram theologiam didicerit, nisi eam postea assidue excolat, ut penitus animo defixa maneant quæ didicerit, et nova semper doctrinæ capita memoriæ inserat, atque ita prorsus dignum et idoneum se probet, qui sacerdotii et sacri ministerii officiis laudabiliter et fructuose fungatur. Quapropter omnes ad quos spectat, præmonitos volumus, Nos firmiter statuisse, quacumque humana affectione postposita, curam pastoralem deinceps non conferre, nisi iis quos ex maturo et rigoroso examine, nedum moribus, prudentia aliisque dotibus ad vacantes parochias regendas necessariis et opportunis, sed etiam scientia et doctrina præ ceteris idoneos judicaverimus (1); id porro, servata debita ratione, in promovendis aut nominandis vicariis

(1) Conc. Trid. sess. XXIV. c. 18. *De reform.*

pariter faciemus. Eos vero qui ad curam animarum jam promoti sunt, sollicito et paterno affectu adhortamur, ut theologiæ studium non omittant, sed ad finem usque vitæ in eo perseverent, ne et hi qui positi erant *in resurrectionem multorum in Israël* (1), suarum obligationum obliti et turpi otio torpentes, aliquando illis fiant in ruinam, in lapidem offensionis, et in petram scandali (2).

ARTICULUS VIII.

De theologia ascetica et vita spirituali addiscendis.

Denique clericis necessaria est scientia Sanctorum, qua et se ipsos et animas sibi commissas in viam salutis et perfectionis secure ducant ac dirigant. Hunc in finem, plurimum ipsis commendamus librorum de vita spirituali tractantium lectionem, in primis libros

(1) Luc. II, 34.
(2) Petri II, 8.

aureos *De imitatione Christi* et *De pugna spirituali*, nec non *Tractatum de perfectione christiana* P. A. Rodericii : quibus cum fructu adjungent opuscula quædam sanctorum Patrum, et vitas Sanctorum, ab Albano Butler aut ab aliis probatis auctoribus editas.

CAPUT II.

DE HIS QUÆ A CLERICIS VITANDA SUNT.

ARTICULUS I.

De otio, lusu et compotationibus vitandis.

In primis unusquisque clericus persuasum sibi habeat, se non ad ignaviam aut iners otium, sed ad salutares pro Ecclesia Dei labores obeundos, vocatum esse et clero adscriptum. Quare si penso et officio, ad quæ primario obligatur absolutis, aliquid temporis superfuerit, illud studio, piorum librorum lectioni, rebus utilibus, honestæ recreationi animi, minime vero otio, vaniloquio, inutilibus actionibus, lu-

sibus aut commessationibus et compotationibus impendat. Hæc enim vivendi ratio cum virtute sacerdotali non consistit.

ARTICULUS II.

De impedimentis castitatis sacerdotalis fugiendis.

Ad cavenda scandala, et removendam, hoc nostro sæculo perditissimo, omnem sugillandi clerum occasionem, abstineant clerici et sacerdotes omnes, non tantum a malo, sed etiam, ut monet apostolus, *ab omni specie mala* (1).

Parum enim proficerent ab incontinentiæ scelere abstinendo, nisi se ab omni etiam suspicionis macula immunes servarent. Id concilium Cameracense olim docuit, dum scripsit : « Consortium mulierum sacerdoti non « convenit, quem castitas et continen- « tia ornare perpetuo debent : et utut « castitas servari queat in muliebri « consortio, raro tamen bonum nomen

(1) I Thess. V, 22.

« retineri potest (1). » Volumus igitur ut viri ecclesiastici omnes consortium mulierum frequens sedulo vitent, præsertim si ex eo vel levis scandali, sinistræ suspicionis, vel obloquii occasio oriri possit. Sint piæ licet, sint verecundæ, sint pudicæ mulieres quas sacerdotes frequentant, non inde periculum minuitur sed quandoque augetur, quia illa ipsa earum virtus non raro subtilius allicit animum quam ipsa inverecundia; unde fit ut, dum securius se agere putant, subtiliores eis insidiæ ab inimico struantur; et quod spiritu cœptum est, non raro carne consummatur, ut experientia testatur, et SS. Patres uno veluti ore docuerunt.

ARTICULUS III.

De ancillis quæ sacerdotibus inserviunt.

Sacerdotes ancillas non habeant juniores, non garrulas, immodestas aut dominatrices; sed *prudentes, castas*,

(1) Conc. prov. Cam an. 1565.

sobrias, domus curam habentes (1) *: in silentio... cum omni subjectione : cum verecundia et sobrietate ornantes se, promittentes pietatem per opera bona* (2). Ingressum tabernarum, et consortia immodesta ipsis sub pœna expulsionis prohibeant; cum ipsis mensæ non accumbant, nec ad convivia, etiam invitati, accedant; ipsis comitibus forum negotiorum causa non adeant, amicos aut parochianos, quovis titulo vel prætextu, non invisant. Si quis nihilominus ancillam istius modi habeat, aut cum alia muliere sic conversetur, ut oblequium vel scandalum inde oriatur (de qua re mandamus ut decani rurales illico inquirant, ac Nobis sine mora rationem reddant), ad primam nostram, vel decani sui admonitionem, eamdem a se dimittere, aut ejusdem familiaritate se illico abstinere, *sub pœna suspensionis,* tenetur.

Quæ de dotibus ancillarum dicta

(1) Tit. II, 5.
(2) I Tim. II, 9, 10, 11.

sunt, ea quoque de sororibus et consanguineis quæ clericis cohabitant intelligi volumus. Quare sedulo curent parochi, ut hæ in parochia sua non domi nentur, vel ejusdem administrationi sese immisceant; sed et invigilent ut modeste vestiantur, et nemini dent offensionem vel scandalum.

ARTICULUS IV.

De balneis marinis non quærendis

Deinde, cum clericali modestiæ repugnet ut clerici in locis publicis, maxime ad maris littora, balneis utantur, stricte prohibitum sibi esse sciant omnes, tam sæculares quam regulares clerici, maris littora adire, balnea sumendi causa, nisi de expressa nostra licentia, nonnisi ex præscripto medici concedenda.

ARTICULUS V.

De vitando accessu tabernarum.

Et quia ex tabernarum accessu, qui

ceteroqui multorum vitiorum fons vel occasio esse solet, omnino vilescit ecclesiastici status dignitas, prohibemus clericis omnibus, tam sæcularibus quam regularibus, ne, sive in loco suæ residentiæ, sive extra illum, quacumque ratione aut prætextu, excepta peregrinationis causa, ad popinas, tabernas, aut domos quascumque ubi potus aliquis venalis præbetur, audeant accedere ad potandum, edendum vel ludendum (1), aut ex illis potum venalem afferri faciant in atria, hortos, aliave loca ad præfatas domos spectantia, illisve adjacentia. Volumusque hoc præceptum sub gravi obligare.

Declaramus tamen sub hac prohibitione non comprehendi illos, qui occasione exequiarum, installationis pastoris, adventus primi magistratus aut etiam visitationis propinqui tabernarii, in taberna ad refectionem vel hospitium *gratis* admittuntur.

(1) Conc. Lateranense VI. can. 16.

ARTICULUS VI.

De tabernis, compotationibus et commessationibus fugiendis.

Non tantum tabernæ, sed compotationes etiam, quæ in privatis ædibus fiunt, viris ecclesiasticis prorsus fugiendæ sunt, præsertim ubi vel minimum intemperantiæ scandalive periculum timendum est; nam, ut scribit S. Petrus Chrysologus, « ebrietas in aliis « quidem crimen est, in sacerdotibus « sacrilegium : alii quippe vino ani« mam suam necant, at sacerdotes spi« ritum sanctitatis exstinguunt (1). » Verum quemadmodum in potu, sic etiam in cibo, cuilibet clerico intemperantia omnis vitanda est, quod vix fiet, nisi intemperantiæ fugiantur occasiones, quæ in conviviis et commessationibus frequentiores esse solent, et periculosiores, quam in ipsis tabernis. Idcirco varia concilia statuerunt, « ut

(1) S. Petrus Chrysologus, *Serm.* 26.

« clerici, in quocumque gradu con-
« stituti, laicorum convivia, et nimiam
« eorum familiaritatem, unde cleri-
« corum vilescit authoritas, declinare
« et fugere deberent (1). » Hinc S. Hieronymus, ad Nepotianum scribens :
« convivia, tibi vitanda sunt sæcula-
« rium, ait,... facile contemnitur cle-
« ricus, qui sæpe vocatus ad pran-
« dium, ire non recusat. Numquam pe-
« tentes, raro accipiamus rogati (2). »

Ut igitur etiam in hac parte omnes et singuli, quæ status sui sunt et conditionis, ea majori cum ædificatione adimpleant, non tantum eos paterno affectu hortamur ut in frequentandis hisce conviviis parci et cauti sint, sed peculiariter ipsis quam plurimum dissuademus cœnam apud laicos sumere; prohibemus vero conviviis puerperarum, vel conviviis nuptialibus, quantumvis honestissimis, ipso nuptiarum die, sub quocumque prætextu, inter-

(1) Conc. Raven. III, an. 1314. Aquileien. an. 1596.
(2) S. Hier. ad Nepot. nº 11, 15, 16.

esse. Quod potiori jure intelligendum est de his conviviis, in quibus choreæ et tripudia ducuntur, quovis tempore et loco hæc tandem instituantur.

ARTICULUS VII.

Prohibentur choreæ, comœdiæ et spectacula.

Prohibemus quoque clericis nostris chorearum, comœdiarum, et aliorum hujus generis spectaculorum profanorum frequentationem. Eos vero serio monemus et adhortamur, ut diebus bacchanalium caveant ne stantes in plateis, in januis, vel per fenestras in propriis vel alienis ædibus homines et mulieres larvatos aspicientes, eorum excessibus applaudere videantur; sed potius hisce diebus, corpore a mundanis sejuncti, et animo rebus spiritualibus addicti, non nisi in ecclesiis aut in via qua ad ecclesiam tenditur, publice appareant, idque præcipue ut divinis officiis assistant, et maxime precibus

XL horarum, quas, ut sæpius optarunt Romani Pontifices, in omnibus oppidis et majoribus pagis institui desideramus, « ad impetranda divina auxilia contra « bacchanalium abusus, et ne fideles, « tempore tentationis, a via Domini « recedant. (1). »

ARTICULUS VIII.

De lusu cavendo.

Abstineant pariter clerici ab omni lusu fortunæ, ut alearum, loteriæ stricte dictæ, aut alterius cujusvis generis, qui gravitati status ecclesiastici repugnat. Hinc, cum chartarum pictarum lusus plerumque non sine temporis et pecuniæ impendio instituatur, ut ab illo abstineant omnino suademus. Prohibemus vero ne clerici in locis publicis pila palmaria aut globis ludant, vel ad psittacum aut scopum jaculentur, sub quocumque prætextu : quæ etiam ne in locis privatis cum personis

(1) Clem. XIII. in Brev. 23 Julii 1765.

alterius sexus fiant prorsus consulimus et optamus. Denique sciant clerici sibi, in hac diœcesi, prohibitum esse quodcumque venationis exercitium (1).

ARTICULUS IX.

Ne clericus quis supplicio damnatorum adsit; aut artem medicam vel chirurgicam exerceat.

Ex sacris Canonibus liquet, clericum nec ad status sui decorem adtendere, nec in spiritu lenitatis et mansuetudinis, qui huic statui proprius est, vivere, si probrosæ aut cruentæ executioni sententiæ justitiæ vindicativæ intersit. Ideo omnibus clericis et sacerdotibus districte prohibemus ne, dum rei alterutrius sexus vel ad palum publice exponuntur, vel pœnis gravioribus afficiuntur, vel morte plectuntur, misero huic spectaculo adsint (2). Ob easdem aliasque graves causas, iisdem prorsus prohibemus exercitium artis chirurgicæ,

(1) *Ant. stat. diæc. Brug.* tit. V, § 6.
(2) Ibid. § 9.

aut medicæ, tum erga viros, tum maxime, et quidem sub gravi peccato, erga feminas.

ARTICULUS X.

De mercatura et negotiis sæcularibus non agendis.

Nemo militans Deo, ait Apostolus, *implicat se negotiis sæcularibus : ut ei placeat, cui se probavit* (1). Idcirco cum conciliis provincialibus Mechliniensi et Mediolanensi decernimus : « Ne cleri-
« cus sacris initiatus, aut ecclesiastico
« beneficio præditus, ullam negotiatio-
« nem sæcularem exerceat; ne in ne-
« gotiationibus et mercaturis se inter-
« pretem et medium interponat; ne
« census, prædia aut terras alienas con-
« ducat, quæstus faciendi gratia; ne
« pro aliis fide jubeat, aut negotiorum
« alterius gestionem, nequidem pu-
« pillorum tutelam, absque Episcopi
« consensu suscipiat; ne litibus et li-

(1) II Tim. II, 4.

« tigantium querelis sese immisceat, « nisi pacis componendæ causa (1); » insuper, cum SS. Canonibus prohibemus, « Ne clericus sæcularia munia seu « officia suscipiat, neque testimonium « coram judice laico ferat, aut in jus « vocatus coram eo se sistat, nisi ob- « tenta prævie Episcopi licentia (2). » Denique, « Sciant omnes clerici, ipsis « non licere ullo pacto fori privilegio « renuntiare, et, si renuntiaverint, « nullam esse renuntiationem, in eos- « que ad sacrorum Canonum præscri- « ptum agi posse ac debere (3). »

ARTICULUS XI.

De avaritia et prodigalitate fugiendis.

Spiritui paupertatis quam, in suscipiendo clericatu, professi sumus, dum Deum ipsum in partem hæreditatis nostræ elegimus, æque adversantur

(1) Conc. prov. Mediol. I. part. II, cap. 26. — Conc. prov. Mechlin. III, tit. XVIII.
(2) Decret. Greg. IX, lib. II, tit. 2; lib. III, tit. 50.
(3) Conc. prov. Mechlin. *loco cit.*

avaritia et prodigalitas. Ideo clericos omnes et sacerdotes, ex corde hortamur ut utrumque hoc vitium abhorreant ac detestentur. Et sane *avaro*, præsertim si fuerit sacerdos, *nihil est scelestius... nihil est iniquius quam amare pecuniam : hic enim et animam suam venalem habet* (1). Qui pecuniæ servit, in amittendæ æternæ salutis periculo manifeste versatur, nam teste S. Gregorio : « Omnia vitia senescunt « senescente homine; sola avaritia non « senescit (2) : » et, quod maxime dolendum est, sacerdos avarus non tantum in vita, sed etiam post mortem populis scandalo et execrationi et Ecclesiæ mœrori est, ut lugenda experientia docet. Prodigus contra, qui scilicet in luxum, supellectilem nimis pretiosam aut alios sumptus inutiles, superflua, atque aliquando etiam necessaria, impendit, præterquam quod in sensu suo dominari permittat super-

(1) Eccl. X, 9 et 10.
(2) Lib. XV, *Moral.*

biam, a qua *initium sumpsit omnis perditio* (1), debitis eleemosynis pauperes defraudat, et quandoque debita contrahit ante mortem nunquam solvenda : quod illæsa justitia non fit. Ad rem nostram igitur : « Quidquid, ait S. Ber-
« nardus, præter necessarium victum
« ac simplicem vestitum de altari re-
« tines, tuum non est, rapina est, sa-
« crilegium est (2). » Et rursus : « Cla-
« mant nudi, clamant famelici, con-
« queruntur et dicunt : nostrum est
« quod effunditis, nobis crudeliter
« subtrahitur quod inutiliter expen-
« ditur (3). »

ARTICULUS XII.

De servanda fraterna caritate et discordia fugienda.

Postremo, cum *caritas* sit *vinculum perfectionis* (4), quam clerici pro viri-

(1) Tob. IV, 14.
(2) Epist. 2.
(3) Epist. 42.
(4) Coloss. III, 14.

bus assequi et sedulo fovere tenentur, diœcesis nostræ clericos omnes tum sæculares, tum regulares, per amorem Jesu-Christi Domini Nostri, qui pridie mortis Patrem oravit, ut discipuli *sint unum, sicut et nos,* ait, *unum sumus* (1), quique eis pacem suam dedit et reliquit, obsecramus et obtestamur, ut caveant ab omni dissentione, detractione et susurratione. Recogitent sæpe se ejusdem matris Ecclesiæ filios esse ac ministros, ac studeant mutuos defectus patienter ferre et alto silentio obtegere, *charitate fraternitatis invicem diligentes* (2), atque *alter alterius onera portantes* (3), ut *cum apparuerit princeps pastorum et episcopus animarum* suarum *Jesus-Christus, percipiant immarcessibilem gloriæ coronam* (4), et cum Principe pacis regnent in æternum.

(1) JOAN. XVII. 22.
(2) ROM. XII, 10.
(3) GAL. VI, 2.
(4) I PET. II, 25; V, 4.

TITULUS II.

DE ARCHIPRESBYTERO ET DECANIS CHRISTIANITATUM.

ARTICULUS I.

De decanatibus.

Diœcesis in archipresbyteratum Brugensem, et in duodecim christianitatum decanatus dividitur, videlicet : Brugensem meridionalem et septentrionalem, Avelghemiensem, Cortracenum, Dixmudensem, Furnensem, Ghistellensem, Menenensem, Poperinganum, Thiletanum, Thoraltensem et Yprensem.

Archipresbyteratui Brugensi subjiciuntur parochiæ :

1 SS. Salvatoris,	5 S. Walburgæ,
2 B. Mariæ Virginis,	6 S. Annæ,
3 S. Jacobi,	7 S. Mariæ Magdalenæ,
4 S. Ægidii,	8 Begginasium,

Et sacella publica, oratoria, etc. quæ intra limites harum parochiarum exstant.

Decanatui Brugensi meridionali subsunt :

1 Assebrouck,	10 S. Crucis,
2 Beernem,	11 S. Georgii *ad Carduum*,
3 Damme,	12 S. Michaelis,
4 Lapscheure,	13 Snelleghem,
5 Lophem,	14 Syssecle,
6 Moerkerke,	15 Varssenaere,
7 Oedelem,	16 Wardamme.
8 Oostcamp,	
9 S. Andreæ,	

Et sacella publica, oratoria, etc. quæ intra limites harum parochiarum exstant.

Decanatui Brugensi septentrionali subsunt :

1 Blankenberghe,	10 Nieuwmunster,
2 Coolkerke,	11 Oostkerke,
3 Dudzeele,	12 Ramscapelle,
4 Heyst,	13 S. Petri *super Aggerem*,
5 Houcke,	14 Uytkerke,
6 Houttave,	15 Wendune,
7 Knocke,	16 Westcapelle,
8 Lisseweghe,	17 Zuyenkerke.
9 Meetkerke,	

Et sacella publica, oratoria, etc. quæ intra limites harum parochiarum exstant.

Decanatui Avelghemiensi subsunt :

1 Anseghem,
2 Autryve,
3 Avelghem,
4 Bossuyt,
5 Caster,
6 Coyghem,
7 Dottignies,
8 Espierres,
9 Ghyselbrechteghem,
10 Heestert,
11 Helchin,
12 Ingoyghem,
13 Kerkhove,
14 Moen,
15 Ooteghem,
16 SS. Dionysii et Genesii,
17 Tieghem,
18 Waermaerde.

Et sacella publica, oratoria, etc. quæ intra limites harum parochiarum exstant.

Decanatui Cortraceno subsunt :

1 Bavichove,
2 Belleghem,
3 Beveren,
4 Bisseghem,
Cortraci,
5 B. Mariæ Virginis,
6 S. Martini,
7 Cuerne,
8 Deerlyk,
9 Desselghem,
10 Gulleghem,
11 Harlebeca,
12 Heule,
13 Hulste,
14 Iseghemium,
15 Lendelede,
16 Marcke,
17 Oyghem,
18 Rolleghem,
19 Sweveghem,
20 Vichte,

21 Waereghem,
22 Wielsbeke,
23 Winckel S. Eligii.

Et sacella publica, oratoria, etc. quæ intra limites harum parochiarum exstant.

Decanatui Dixmudensi subsunt :

1 Beerst,
2 Caeskerke,
3 Clercken,
4 Dixmuda,
5 Eessen,
6 Keyem,
7 Lampernisse,
8 Leke,
9 Merckem,
10 Nieuwcapelle,
11 Oostkerke,
12 Oudecapelle,
13 S. Jacobi-capella,
14 Stuyvekenskerke,
15 Vladsloo,
16 Woumen,
17 Zarren.

Et sacella publica, oratoria, etc. quæ intra limites harum parochiarum exstant.

Decanatui Furnensi subsunt :

1 Adinkerke,
2 Alveringhem-Oeren,
3 Avecapelle,
4 Boitshoucke-'S Heerwillemscapelle,
5 Bulscamp-Moeres,
6 Coxyde,
7 Eggewaertscapelle-Zoutenaey,

FURNIS,
8 { S. Nicolai,
S. Walburgæ,
9 Ghyverinchove,
10 Hoogstaede-S. Richarii,
11 Houthem,
12 Isenberghe,
13 Leysele,
14 Loa,
15 Lombardzyde,
16 Neoportum,
17 Oostduynkerke,
18 Pervyse-S. Catharinæ-capella,
19 Pollinckhove,
20 Ramscapelle,
21 S. Georgii,
22 Steenkerke,
23 Vinchem,
24 Westende,
25 Wulpen,
26 Wulveringhem.

Et sacella publica, oratoria, etc. quæ intra limites harum parochiarum exstant.

Decanatui Ghistellensi subsunt :

1 Aldenburgum,
2 Bekeghem,
3 Breedene,
4 Clemskerke,
5 Eerneghem,
6 Ettelghem,
7 Ghistella,
8 Jabbeke,
9 Leffinghe,
10 Mannekensvere
11 Mariakerke,
12 Middelkerke,
13 Moere,
14 Ostenda,
15 Schoore,
16 S. Petri-capella,
17 Slype,
18 Snaeskerke,
19 Stalhille,

20 Steene,	24 Zande,
21 Vlisseghem,	25 Zandvoorde,
22 Westkerke-Roxem,	26 Zerkeghem,
23 Wilskerke,	27 Zevecote.

Et sacella publica, oratoria, etc. quæ intra limites harum parochiarum exstant.

Decanatui Menenensi subsunt :

1 Aelbeke,	12 Moorseele,
2 Becelaere,	13 Moorslede,
3 Cominium,	14 Mouscron,
4 Dadizeele,	15 Reckem,
5 Gheluwe,	16 Rolleghem-capelle,
6 Herseaux,	17 Ten Briele,
7 Houthem,	18 Viroviacum,
8 Lauwe,	19 Wevelghem,
9 Ledeghem,	20 Zandvoorde.
10 Luingne,	
11 Menenæ,	

Et sacella publica, oratoria, etc. quæ intra limites harum parochiarum exstant.

Decanatui Poperingano subsunt :

1 Beveren,	3 Dranoutre,
2 Crombeke,	4 Elverdinghe,

5 Haringhe,
6 Locre,
7 Noordschote,
8 Oostvleteren,
POPERINGIS,
9 S. Bertini,
10 B. M. Virginis,
11 S. Joannis,
12 Proven,
13 Reninghe,
14 Reninghelst,
15 Rousbrugge,
16 Stavele,
17 Watou,
18 Westoutre,
19 Westvleteren,
20 Woesten,
21 Zuydschote.

Et sacella publica, oratoria, etc. quæ intra limites harum parochiarum exstant.

Decanatui Thiletano subsunt :

1 Aerseele,
2 Ardoye,
3 Cachtem,
4 Caeneghem,
5 Coolscamp,
6 Denterghem,
7 Eeghem,
8 Emelghem,
9 Ingelmunster,
10 Marckeghem,
11 Marialoop,
12 Meulebeke,
13 Oesselghem,
14 Oostroosebeke
15 Pitthem,
16 Ruysselede,
17 Schuyffers-capelle,
18 Thiletum,
19 Vivia S. Bavonis,
20 Vivia S. Eligii,
21 Wacken,
22 Wynghene.

Et sacella publica, oratoria, etc. quæ intra limites harum parochiarum exstant.

Decanatui Thoraltensi subsunt :

1 Aertrycke,
2 Beveren,
3 Bovekerke,
4 Cortemarcq,
5 Couckelaere,
6 Gits,
7 Handsaeme,
8 Hooglede,
9 Ichteghem,
10 Lichtervelde,
11 Oostnieuwkerke
12 Ouckene,
13 Rollarium,
14 Ruddervoorde,
15 Rumbeke,
16 Staden,
17 Swevezeele,
18 Thoraltum,
19 Wercken,
20 Zedelghem.

Et sacella publica, oratoria, etc. quæ intra limites harum parochiarum exstant.

Decanatui Yprensi subsunt :

1 Bixschote,
2 Boesinghe,
3 Brielen,
4 Dickebusch,
5 Gheluvelt,
6 Hollebeke,
7 Kemmel,
8 Langemarck,
9 Messinæ,
10 Nederwaesten,
11 Passchendaele,
12 Ploegsteert,
13 Poelcapelle,
14 S. Joannis,
15 Vlamertinghe,
16 Voormezeele,
17 Wastenum,
18 Westnieuwkerke,
19 Westroosebeke,
20 Wulverghem,

21 Wytschaete,	24 S. Jacobi,
Ypris,	25 S. Nicolai,
22 S. Martini,	26 Zillebeke,
23 S. Petri,	27 Zonnebeke.

Et sacella publica, oratoria, etc. quæ intra limites harum parochiarum exstant.

ARTICULUS II.

De honore decanis exhibendo.

Cum decanos parochorum parochos esse, tam ipsorum commissio, quam synodalia decreta manifeste declarent, videant parochi, aliique de clero et de populo, ut decanorum auctoritatem, dignitatem et superioritatem ex animo agnoscant, eisque perpetuo et ubique, maxime autem in parochiarum visitatione, specialem honorem et reverentiam exhibeant.

ARTICULUS III.

De officiis decanorum.

Decanorum officium est, in suo districtu, nostra auctoritate curare, ut omnes clerici vitam agant sua vocatione

dignam; atque invigilare, ut parochi suo rite fungantur officio; eosque, quando opus fuerit, monere, corripere, consolari, consilio juvare, ac veri pastoris officium erga eos, cum sanos, tum ægrotos, fideliter obire.

Sciant etiam decani, se universo sui districtus populo tamquam speculatores ac consiliarios præfici. Quare solliciti sint, ut nulli in suum districtum abusus irrepant, et si qui fortasse irrepserint, quantocius de medio tollantur. Quod ut consequantur, etiam suam, si opus fuerit, auctoritatem interponant. Porro licet laicis æque ac clericis lites inter se, vel inter se et parochos, exortas ad decanum suum deferre, ut consilium ab eo et auxilium obtineant. Decani autem nedum operam suam denegent requirentibus, dissidia potius, quæ observaverint, ex æquo et bono componere sponte conentur. Caveant tamen ne, inaudita altera parte, inconsultoque pastore loci, quidpiam decernant; curentque ut nihil, quantum fieri po-

test, de pastorum, aliorumque sacerdotum auctoritate detrahatur.

ARTICULUS IV.

De visitatione decanali.

Ut decani officia, quæ ipsis incumbunt, facilius exequantur, saltem semel singulis quadrienniis, omnes parochias sui districtus solemniter visitabunt, eo anno qui medius sit inter visitationes quas Episcopus etiam singulis quadrienniis instituere solet. Qua occasione servabitur ordo in Pastorali Brugensi præscriptus ad recipiendum decanum. Ceterum, decani parochias sui districtus privatim, nullo præmisso nuntio visitabunt quoties id eis expedire visum fuerit. Visitationis suæ solemnis fidelem relationem ad Episcopum, ante festum natalis Domini, transmittere tenentur.

ARTICULUS V.

Quid decani in suis visitationibus inquirere debeant.

Visitationem suam instituat decanus

cum timore Domini, et absque ullo humano respectu, personarumve acceptione, memor se nostram, momentoso hoc in opere, personam gerere, strictamque ea de causa, supremo Judici rationem esse redditurum. Licet autem omnia, quæ a decanis examinari aut inquiri debent, enumerari non possint, præcipuam tamen hujusce examinis materiam hic subnectimus.

Cum ea quæ examinanda proponuntur, paucissimis exceptis, obligent jure divino, communi vel diœcesano; omniaque plurimum conducant ad majorem divini cultus splendorem, proximi ædificationem ac salutem, propriamque ipsorummet sacerdotum perfectionem, præcipimus ut hæc omnia a singulis, ad quos spectant, fideliter observentur.

§ 1.

De statu ecclesiæ materiali, et de suppellectili ejus.

Decanus igitur inquiret :

1. An ecclesia sarta tecta servetur?

An integro et convenienti instructa sit pavimento? An in ea aer opportune renovetur?

2. An altaria eorumque ornamenta sint decentia? An lapides altarium *fixorum* non sint a basi sua separati, vel enormiter fracti? An lapides altarium *portatilium* sint sat ampli ut hostiam et majorem calicis partem capiant? An non nimis remoti ab anteriori altaris parte, ut periculum sit extra lapidem consecrandi? An in altaribus cum fixis, tum portatilibus, non sit fractum sigillum, vel sepulcrum reliquiarum? An altaria contecta sint juxta rubricas missalis, mappæque debito tempore renoventur? An, finita missa, superior altaris mappa debite tegatur ad cavendum pulverem.

3. An in medio altaris habeatur Crux tantæ magnitudinis, ut a populo videri possit?

4. An tabernaculum sit decentis structuræ, intus panno serico debiti coloris ex omni parte vestitum, ac pro

ecclesiæ facultatibus intrinsecus et extrinsecus pulchre ornatum? An mundum sit semper a minimo pulvere? An in eo nullum vas reponatur in quo SS. sacramentum actu non continetur? An sit semper obseratum clave, quæ non nisi a parocho aut alio sacerdote custodiatur? An diu noctuque lampas ardeat *coram* tabernaculo? An, dum in tabernaculo reconditur SS. sacramentum, aut super altare exponitur, corporale mundum et benedictum semper sit ei substratum?

5. An hostiæ consecratæ statuto per Pastorale tempore renoventur? An major hostia asservetur in vasculo argenteo bene clauso, non vero in ciborio cum aliis sacris particulis, neque in remonstrantia? An panis consecrandus sit vere triticeus, et vinum de vite?

6. An ciborium, seu pixis, et calices, vel saltem eorum cuppa, sint ex argento, intus deaurato, et num illa congruo tempore emundentur? An tuto concludantur? An sacrorum Oleorum

vasa honesto ac mundo loco sub clave ac tuta custodia asserventur?

7. An baptisterium sit in decenti loco ac forma, bene ornatum, clausum, et mundum? An fons baptismalis sit sera et clave munitus, atque ita obseratus, ut pulvis vel aliæ sordes in illum non penetrent.

8. An sedes confessionales sint in conspicuo loco positæ, et debite cancellatæ? An in illis confessionalis partibus, ubi se sistunt pœnitentes, piæ appensæ sint imagines? An, extra casus in PASTORALI enumeratos, mulierum confessiones non excipiantur in sacristia?

9. An nullæ sint in ecclesia imagines aut picturæ sordidæ, vetustate consumptæ, non integræ, aut ex alio capite indecentes?

10. An in ecclesia, ubi commode id fieri potest, scamna sint pauperibus destinata, ne pauperes ab ecclesia avertantur?

11. An non destruantur monumenta,

aliave ecclesiæ ornamenta antiquitate aut elegantiori forma conspicua, ut iis nova substituantur formæ rudioris, aut, spectata primigenia ædificii structura, minus congrua? An in ecclesiis nova non erigantur mausolea sine licentia Ordinarii? Ceterum nomine mausoleorum, non intelliguntur lapides sepulcrales in pavimento ecclesiæ positi; quos tamen, sine nostra auctoritate, poni vetamus intra ambitum sanctuarii. In omni casu inscriptiones mausoleorum aut lapidum prævie Nobis exhibendæ, atque a Nobis approbandæ sunt.

12. Quænam in ecclesia asserventur SS. Reliquiæ? An debitis et authenticis munitæ sint testimoniis, et ab Ordinario exponi permissæ? An hæ litteræ, in unum colligatæ, diligenter asserventur cum litteris indulgentiarum et confraternitatum, aliisque ecclesiæ munimentis? An nullus hic cultus superstitiosus præstetur, aut nihil fiat quod turpem quæstum sapiat?

13. Quænam ibidem erectæ confraternitates? Quænam lucrandæ indulgentiæ, et an omnes authenticæ sint? An indulgentiæ temporales tempore debito renoventur?

14. An sacristia sit apta usui ecclesiæ? An bene clausa? An munda? An aer convenienti tempore renovetur in ea? An sacrarium habeat? An in ea reperiatur genuflectorium cum precibus, ante et post missam dicendis? An appendatur imago crucifixi ante oculos sacerdotis sacris vestibus se induentis? An habeatur ibidem sedes confessionalis cancellata? An in sacristia debitum ab omnibus servetur silentium? An in ea pendeant 1° vas aquæ benedictæ, quæ singulis octiduis renovetur; 2° lavatorium cum manutergio duplici; 3° toga talaris, qua induantur sacerdotes extranei non togati missam celebraturi; 4° nomen Episcopi; 5° nomen titularis vel patroni ecclesiæ; 6° tabella fundationum; 7° mandata episcopalia, quæ ex præcepto in ea debent appendi?

15. An amictus, albæ, tobaleæ, mappulæ, corporalia, pallæ, etiam pars earum superior, ac purificatoria sint ex solo lino vel cannabe, non autem ex serico vel gossypio confecta? An amictus habeant depictam crucem? An corporalia non sint nimis tenuia, ac perlucida?

16. An sufficiens sit copia corporalium aliorumque linteaminum? An rite asserventur, et complicentur? An non sint illuvie sordida? An pariter vestes sacerdotales, albæ, superpellicea etc. accurate serventur et munda sint? An vestes sacræ habeantur omnium colorum, quibus Ecclesia utitur? An non sint laceræ, aut eo in statu qui dedeceat tremendi sacrificii solemnitatem? An missale, pastorale, aliaque utensilia non sint nimis trita, aut alia ratione indecentia?

17. An quatuor sint, in singulis parochialibus ecclesiis, registra? An diligentissime sub sera custodiantur? An quæ in iis scribenda sunt, statim et

distincte inscribantur juxta formulas in Pastorali præscriptas?

18. An in sacristia appendatur tabella, in qua missæ fundatæ, et alia onera fabricæ adnotentur?

19. An diligenter serventur ea quæ in Pastorali *de Cœmeterio* præscribuntur?

20. Quænam sint in territorio parochiæ oratoria privata? An divina officia in iis celebrentur cum licentia Ordinarii, authentice concessa? An serventur conditiones huic licentiæ appositæ? An locus semper maneat congruus, prout erat dum approbatus fuit? An decenti instructa sint supellectili?

§ 2.

De officio et cultu divino,

Decanus inquiret:

1. An in missa, tam privata quam solemni, rubricæ Missalis romani accurate serventur, tam ab ipso celebrante quam ab assistentibus ministris?

An omnes celebrent cum debita gravitate ac devotione?

2. An, diebus dominicis et festivis, hora determinata, omnia divina officia puncto physico inchoentur? An prædictis diebus, solemne sacrum offeratur pro grege? An, parocho legitime impedito, cura sit, ut hæc gravis obligatio per alium sacerdotem impleatur? An, cessante legitimo impedimento, parochus onus celebrandi summum sacrum, non indebite in suum vicarium rejiciat? (*Confer* § 4, nº 1). An temporis intervallum sufficiens sit inter missam privatam et solemnem, ut fideles possint alternatim eisdem interesse? An tempus, pro utroque sacro determinatum, constanter et accurate servetur?

3. An in missis cantatis, dum ad *Gloria* vel *Credo* perventum est, celebrans non prosequatur, recitans partem eorum quæ cantari debent? An totum symbolum cantetur?

4. An loco missæ parochialis non fiant, diebus dominicis et festivis,

missæ exequiales vel anniversaria? An diebus per rubricas impeditis non celebrentur missæ de *Requiem*, aut aliæ votivæ?

5. An diebus feriatis missa celebretur regulariter eadem hora, populo commoda? An, ubi duo aut tres sunt sacerdotes, distinctis, quantum fieri potest, horis celebrent?

6. An nunquam ad celebrandum admittantur sacerdotes incogniti, quin prius litteras suas, in forma debita conscriptas, quibus licentia celebrandi eis tribuitur, exhibuerint? Non enim sufficiunt litteræ ordinationis aut jurisdictionis.

7. An non nunquam binetur, et quæ sit hoc faciendi necessitas?

8. An serventur decreta et ordinationes diœcesanæ circa expositionem venerabilis Sacramenti, numerum cereorum qui tunc temporis ardere debent, et benedictionem dandam cum sanctissimo Sacramento?

9. An diebus dominicis et festivis de-

cantentur vesperæ et laudes vespertinæ? An in vesperis non omittantur commemorationes et suffragia? An cantus semper sit gravis (ad quod præsertim in officio defunctorum attendendum est), et pro varietate festorum magis aut minus festivus et lentus? An nunquam clamosus? An laudes vespertinæ cum expositione SS. Sacramenti eadem die non iterentur? An in iis adhibeantur paramenta coloris albi, si a vesperis separentur; alias vero, coloris officio diei convenientis?

10. Vocet ad se decanus qui missæ inservire solent, videatque an ita sint instituti ut partes suas, prout decet, obire possint.

§ 3.

De parocho et variis ejus obligationibus.

Inquiret decanus :

1. An quæ de vita et honestate clericorum universim decreta sunt, fideliter observent tum parochus, tum alii

parochiæ sacerdotes? An parochus nomen non habeat prodigi, avari vel thesaurizantis? Si ita, an merito? An debite provisum sit, ut superflua beneficii, quæ inveniri possent post mortem beneficiarii, impendantur in pias causas? An hunc in finem testamentum, etiam a sanis, tempestive conficiatur?

2. An strictam servent residentiæ legem? An parochus *Librum* habeat *status animarum* suæ parochiæ? — *Confer* tit. III, art. II et III.

3. An pacifice agat parochus cum suis, et præcipue cum vicepastore. — *Confer* art. III, præsentis tituli.

4. An omnes ad amussim sequantur præscripta PASTORALIS? Si non, in quibus deficiant?

5. An serventur Ordinationes diœcesanæ circa conciones et catechismum? An concionatores neminem, saltem indirecte, nominatim insectentur aut designent? An, citra causam Ordinario probatam, abstineant a relatione rumorum, seu rerum novarum?

6. An pueri opportuno tempore præparentur ad primam communionem, et an prima communio puerorum eo modo, ritu, et solemnitate fiat quæ in PASTORALI BRUGENSI præscribuntur?

7. An pueri necdum communicantes, saltem quater in anno, ad confessionem vocentur, præmissa brevi et ad captum eorum accommodata instructione, ut habet PASTORALE BRUGENSE, in *ordine ministrandi sacramentum pœnitentiæ*, nº XIII.

8. An parochus frequentem Sacramentorum usum parochianis suis inculcet? An hunc in finem, saltem diebus dominicis et festis, a primo mane in confessionali sedeat, ut fidelibus confitendi facilitatem procuret? An curet, ut vicepastor id pariter faciat? An in urbibus, et aliis locis ubi numerosior est populus, confessarii se etiam ad confessiones excipiendas paratos exhibeant in sabbatis, in vigiliis majorum festivitatum, et in aliis diebus quibus id fidelium bonum exigere videtur? (PA-

storale Brugense, *De ministro pœnitentiæ*, nº V). An confessiones, præsertim feminarum, non protrahantur in multam noctem?

9. An, saltem occasione adorationis perpetuæ, parochus populo suo procuret confessarios et concionatores extraordinarios? An non manifestet sibi displicere si pœnitentes quandoque apud alium sacerdotem confiteantur? An pastor aut vicepastor, unus ab altero, pœnitentes non avocet?

10. An parochus de infirmis consolandis sollicitus sit? An frequenter illos visitet, præsertim post administrata exeuntium sacramenta? An id etiam faciat vicepastor? An mutuos etiam pœnitentes visitent, quod nonnunquam unicum est medium sacrilegas confessiones reparandi?

11. An nominatim ea, quæ in Pastorali circa viaticum, seu communionem infirmorum, præscribuntur, diligenti cura serventur?

12. Quot sint scholæ in parochia?

An detur schola dominicalis? An quotidiana etiam pauperum schola? Quot pueri scholas frequentare soleant? An puellæ in illis, in quantum fieri potest, separentur a masculis? An pueri, ubi id sine incommodo fieri potest, a ludi-magistris, puellæ vero a feminis instruantur? An omnibus suæ parochiæ scholis parochus diligenter invigilet; et, an bonas scholas omnimodo conetur promovere, v. g. præmiolis, frequenti visitatione, etc.? An studeat sibi devincere ludi-magistros? —Hic meminisse juvat antistites Belgii, in epistola sua, data 26 Januarii anni 1843, præcepisse parochis, qui in majoribus parochiis existunt ut singulis quindenis, qui vero minores parochias regunt ut singulis hebdomadibus scholas visitent.

13. An invigilet parochus, utrum chirurgi et obstetrices calleant modum conferendi baptismum in necessitate?

14. An cura sit parocho ut res ecclesiæ, pastoratus et pauperum, quas

apud se detinet, a propriis rebus sufficienter distinguantur, ut nullum sit erroris, post mortem, periculum? An exstet inventarium, debite subsignatum, omnium rerum ecclesiæ et pastoratus?

§ 4.

De vicepastore, de custode, de magistris fabricæ et de statu populi.

1. Præter ea quæ ad honestam vitam, conversationemque clericalem spectant, inquirat decanus, an vicepastor parocho suo debitam exhibeat reverentiam et obedientiam? An illius auctoritatem enervare non tentet? An dissensiones in parochia non excitet aut foveat? An non nimis frequenter laicorum domos adeat, cum illis familiarius agat, aut inter ipsos cum querela vel obloquio versetur? — *Confer* tit. I. cap. II. art. II.

2. An vicepastor aptus sit ad catechizandum, et munus hoc zelose peragat? Quomodo et quoties concione-

tur? An singulis diebus dominicis instituat minorem catechismum pro parvulis; majorem vero ex cathedra prout STATUTA jubent? Parvuli autem censentur illi pueri qui nondum se ad primam communionem proxime præparant; qui enim proxime se præparant ab ipsis parochis doceri solent. An probe fungatur officio in excipiendis confessionibus, in ministrando, visitando infirmos, ceterisque functionibus quæ ad ipsum proprie spectant? An etiam ad illas exercendas promptum se exhibeat, dum vices parochi supplere debet? An vero non sit de numero eorum qui, prætextu jurium suorum, amicabilem parochi petitionem morose rejiciunt?

3. An nunquam, ad notabilem diei partem, exeat e parochia vel oppido sine consensu parochi; vel etiam ad breve tempus, eo non præmonito? An dum exit e domo, etiam intra parochiam, declaret quo vadat? Hæc etiam a matriculariis, tum spiritualibus tum

laicis, observanda sunt. — *Confer* tit. III. art. II.

4. An custos rite fungatur officio? An sit honestæ conversationis et obediat suo pastori? An, quod omnino prohibemus, sit tabernarius? An in parochia nomen viri pii, honesti et vere christiani habeat? An, quod maxime prohibemus, non sit potui deditus? An in ecclesia pie et modeste rubricas pro suo munere servet? An statis horis ecclesiam aperiat et claudat? An induatur substanea et superpelliceo, dum assistit functioni sacræ? An ter de die campanam pulset, mane, meridie et vespere, pro recitatione *Angelus* (1)? An fideliter servet ea quæ in epistola circulari Episcopi Brugensis, die 4 Septembris 1851 data, de officiis custodum, præscripta sunt?

5. An magistri fabricæ fide et pietate conspicui sint? An piis fundationibus satisfaciant tam ipsi, quam magistri mensæ pauperum?

(1) Vid. Decretum latum in Congreg. Decan. an. 1843.

6. An, et qui in populo vigeant abusus? Quis tabernarum numerus? An, et quot domus pravæ, aut suspectæ? Quid de choreis et conventiculis personarum utriusque sexus? Quot annue personæ ad sacram communionem accedant? Unde proveniat negligentia in sacramentis frequentandis, si hæc constet? An, et quot concubinarii sint in parochia? An omnia media tentata fuerint quibus ad meliorem frugem adduci possint?

7. Quis sit numerus pauperum in parochia? Quæ habeantur et adhibeantur media ad illorum inopiam sublevandam? An detur nosocomium? Si non, quomodo succuratur inopiæ senum pauperum?

ARTICULUS VI.

De facultatibus decanorum.

Quo diœcesis regimen suavius faciliusque evadat, et decani majori cum auctoritate et animo munera sua obire queant, sequentes facultates, aut jure

proprio, aut jure Nobis a S. Sede delegato, eis concedimus, videlicet :

1. Benedicendi per semetipsos, pro ecclesiis et sacellis sui districtus tantum, novas campanas, atque paramenta ac ornamenta sacerdotalia, vasa sacra, aliaque utensilia, in quorum benedictione non intervenit sacra chrismatis unctio.

2. Dispensandi, tempore quadragesimæ, super esu ovorum et carnium, cum ægrotis et pauperibus sui districtus, atque concedendi eamdem facultatem rectoribus ecclesiarum, quoad suos parochianos.

3. Vacante ecclesia quacumque in districtu, provisionalem conferendi deservituram, ad paucos dies, alicui presbytero probæ vitæ, eo tamen pacto ut vacare ecclesiam illam Ordinarium quantocius admoneant, quo hic deservituram vel eidem, vel alteri, prout expedire judicaverit, committat.

4. Poterunt decani, sicut ab antiquo tempore fieri solet, exeuntium sa-

cramenta administrare, et apostolicam impertiri benedictionem omnibus sui districtus ecclesiarum rectoribus : ac pariter, eos sepelire, ac exequiarum officia omnia perficere. Pro juribus autem exequialibus, præter exemplar meliorum breviariorum quod decano cedit et expensas rhedæ, familia defuncti rectoris ei solvet summam quinquaginta francorum.

5. Decani sacerdotes in suo districtu provisos de parochiali, succursali vel annexa ecclesia, in possessionem introducent, adhibitis solemnitatibus consuetis. Pro quo officio, a sacerdote promoto, stipendium conveniens pro more accipient.

6. Habent etiam decani facultatem dispensandi, ob rationes canonicas, consuetis inhærendo formulis, cum incolis sui districtus, in uno et in duplici banno antenuptiali; item in tempore clauso, etiam cum iis qui ne semel quidem ante hoc tempus proclamati fuerunt. Præterea dispensandi in die intermedio quem

Pastorale Brugense interesse decernit inter ultimum bannum proclamatum et solemnitatem matrimonii, quando necesse est aut expedit, dummodo dispensatio secundi et tertii banni non fuerit concessa. Mulcta pro his dispensationibus solvenda, erit duorum francorum cum dimidio, pro singulis bannis; sesqui vero franci pro tempore clauso. Si nupturientes sint diversorum districtuum, dispensatio petenda est a solo decano sponsæ. Hæ autem dispensationes describendæ sunt in registro.

7. Absolvendi a casibus tum Nobis, tum sanctæ Sedi quomodocumque reservatis, etiam ab hæresi et abortu, aliisque in bulla *Cœnæ* contentis.

8. Restituendi amissum jus petendi debitum conjugale.

9. Commutandi dispensando vota simplicia non reservata.

Nota. Facultatibus, num. 7, 8 et 9 expressis, uti non licet extra actum sacramentalis confessionis.

10. Concedendi facultatem, in casu

subitaneo, binandi diebus dominicis et de præcepto festivis in ecclesiis sui districtus, ad unam et alteram dumtaxat vicem.

11. Provisorie permittendi, pro fidelibus sui districtus, separationem a thoro et cohabitatione, cum relatione ad Ordinarium, si infra duos menses non fuerint reconciliati.

12. Tandem decano *solemniter* ecclesiam aliquam visitanti, solvetur ex ecclesiæ fabrica summa decem francorum in locis ubi mille numerantur animæ; octo vero in parochiis quæ hunc incolarum numerum non attingunt.

ARTICULUS VII.

De distributione sacrorum Oleorum.

§ 1.

De tempore quo sacra Olea distribuenda sunt.

Singulis annis, feria tertia post dominicam in Albis, aut, si in eam incidat festum Annuntiationis B. M. V. vel S. Marci, feria quarta, fiet solemnis

SS. Oleorum distributio hora decima. Huic omnes pastores districtus, superpelliceo induti, interesse tenentur, nisi legitime fuerint impediti; quo casu vicepastorem suum, aut alium sacerdotem, in locum suum substituant, datis ad decanum litteris, in quibus causam suæ absentiæ exponant. Decanus vero nomina absentium, cum motivis excusationis, ad Nos quamprimum transmittet.

§ 2.

De ritu quo SS. Olea distribuenda sunt.

Ut autem SS. Oleorum distributio ea reverentia peragatur quæ sacramentalibus debetur, sequentem ritum a prædecessore nostro *Guilielmo de Bassery*, in *Statutis diœcesanis* præscriptum, et a Nobis non nihil immutatum, in hac distributione servari præcipimus :

1. Si sacra Olea deposita sint in presbyterio, decanus indutus alba, stola et pluviali coloris albi, comitantibus diacono et subdiacono dalmatica et

tunica, atque ceteris pastoribus superpelliceo indutis, ante missam processionaliter se conferet ad ædes suas, vel pastoris loci, ubi distributio facienda est, et inde sacra Olea ad ecclesiam asportabit. In processione cantabitur hymnus : *Veni Creator.*

2. In choro parata sit mensa, strata tapete et cooperta mappa munda, cum duobus cereis ardentibus, in qua sacra Olea reponantur; deinde ante altare dicatur versus : *Emitte Spiritum tuum,* et oratio : *Deus, qui corda fidelium.*

3. Deinde celebretur missa de die, quam ipse decanus cantabit, assistentibus duobus junioribus decanatus pastoribus, qui, si fuerint impediti, alios sibi tenebuntur substituere.

4. Finita missa, celebrans indutus alba et stola, cum diacono et subdiacono similiter indutis, sedebit ad mensam in qua sacra Olea reposita sunt. Pastores vero sedebunt in scamnis juxta mensam dispositis, ita ut una series adsistentium altare ad dexteram, al-

tera vero ad sinistram habeat, facie scilicet ad faciem, et juxta ordinem temporis quo dignitatem pastoralem adepti sunt; unusquisque post alterum reverenter sacra Olea accipiat, fabulis et omni levitate remotis. Dum distributio fiet, cantabitur, Psalmus : *Misericordias Domini.*

5. Finita distributione, decanus sermone latino et gravi, admonebit pastores suos de reverentia, qua hæc tractanda sunt, et de vigilantia in oves suas exercenda; pro his enim rationem sunt reddituri, si aut eorum incuria, aut (quod absit) eorum malo exemplo, una alterave periret. Quin et eis in memoriam revocet servum nequam a domino suo vocatum fuisse in judicium, et in tenebras exteriores projectum, eo quod talentum absconderat, licet integrum, tamen sine lucro, restituisset.

6. Dicta antiphona : *Regina cœli,* omnes, eo quo venerunt ordine, ad sacristiam redibunt. Quos vero deca-

nus noverit, vel in propria agendi ratione vel in regendo grege suo, a recto tramite non nihil discessisse, illos privatim et secreto admonebit.

7. Finito officio, decanus pastoribus suis frugalem mensam præbebit, sub qua legetur caput ex *Epistola B. Pauli ad Titum.* Omnes autem pastores, etiam legitime excusati, pro mensa, honorario cantorum, salario domesticorum aliisque expensis, ex ecclesiæ fabrica solvent novem francos.

ARTICULUS VIII.

De congregationibus decanorum.

1. Sede episcopali non vacante, quotannis feria tertia infra octavam Ascensionis Domini, habebitur congregatio synodalis decanorum; cui, præter amplissimos DD. vicarios generales, dignitates capituli, aliosque qui Episcopo sunt a consiliis, intererunt omnes hujus diœcesis decani. Mane igitur, hora octava cum dimidia, omnes aderunt in

sacello aulæ episcopalis, missam audituri, quam celebrabit ampl. D. Archipresbyter.

2. Ut dicta congregatio majori cum fructu instituatur, rogantur RR. DD. pastores, ut quæ in ea tractanda censuerint, scripto tradant decano suo die distributionis SS. Oleorum. Decani vero ea quæ a pastoribus notata fuerint, cum suis observationibus, aliaque quæ ipsi utilia judicaverint, in libello describant, unoque saltem ante congregationem mense, ad episcopatus secretariam transmittant.

TITULUS III.

DE PAROCHIS.

ARTICULUS I.

De obligationibus parochorum in genere.

« Cum, ut loquitur sacrosancta sy-« nodus Tridentina (1), præcepto di-« vino mandatum sit omnibus, quibus « animarum cura commissa est, oves « suas agnoscere, pro his sacrificium « offerre, verbique divini prædicatio-« ne, sacramentorum administratio-« ne, ac bonorum omnium operum « exemplo pascere, pauperum alia-« rumque miserabilium personarum « curam paternam gerere, et in cetera « munia pastoralia incumbere; » eos, cum eadem synodo, admonemus et hortamur, « ut, divinorum præcepto-« rum memores, factique forma gre-« gis, fideles sibi commissos in judicio « et veritate pascant et regant. »

(1) Sess. XXXIII. cap. I. *De reform.*

ARTICULUS II.

De residentia.

Sciant autem parochi se ad continuam personalemque residentiam adstringi; seque violati officii reos esse, *si gregi suo non invigilant neque assistunt, sed mercenariorum more deserunt* (1). Et sane fieri nequit ut grex magnum detrimentum non accipiat si pastor frequenter exeat a parochia, etiamsi ad aliquam tantum notabilem diei partem exeat; tum quia multiplici absentia manifestat se de suo grege parum esse sollicitum, tum etiam quia necessariis studiis incumbere non potest, et levis animi certum indicium suppeditat. Secluso igitur tempore singulis annis, ut ex corde optamus, sacris exercitiis impendendo, non licet ulli parocho sine licentia decani ultra quatuor dies computatis diebus exitus et reditus; nec sine licentia Ordinarii ultra hebdomadam a parochia abesse.

(1) Conc. Trid. Ibidem.

Hæc omnia ad deservitores, coadjutores, capellarum, monialium, aliorumque id genus piorum institutorum præpositos, vicepastores, matricularios tam spirituales quam laicos extendimus; quinimo statuimus, ut coadjutores, vicepastores et matricularii, etiam laici, per notabilem diei partem parochia aut oppido non egrediantur sine licentia parochi.

Et ne contingat parochum et vicarium eodem tempore extra parochiæ limites versari, horum nullus parochia egrediatur, nisi altero præmonito. Cura quoque sit, ut quotiescumque, breviori etiam tempore, domo vel parochia quis abesse voluerit, de eo saltem domesticos moneat, eosque informet, ubi, pro casus exigentia, adiri ac inveniri possit.

Qui vero solus alicui præest parochiæ, nunquam per majorem diei partem illa egrediatur, quin parochus, aut vicepastor vicinus præmonitus, in se susceperit vices ejus, si necessitas fue-

rit, gerere; nisi tamen ita proxime habitet ut facilius, aut saltem æque facile, a suis parochianis inveniri quam parochus aut vicepastor vicinus valeat. Hujusmodi autem parochis noctem transigere extra parochiam, non substituto alio idoneo sacerdote, prorsus prohibitum est; excipitur tamen tempus sacrorum exercitiorum, modo sacerdos, cui cura parochiæ demandata est, in vicinia moretur, et alius sacerdos haberi nequeat, qui in domo absentis pernoctet. Ceterum, sedulo invigilent decani, an omnes sui districtus sacerdotes residentiæ leges fideliter observent. Si quem vero hac in re delinquere deprehenderint, statim eum moneant, ac non emendatum, post tertiam monitionem, ad Ordinarium deferant.

ARTICULUS III.

De ovium cognitione.

§ 1.

De libro status animarum et de communione paschali.

Ut universi gregis necessitatibus pro-

spicere valeat, ac unicuique fidelium pro mensura indigentiæ, pastoralem suam sollicitudinem impendere possit, necesse est ut parochus tam generalem, quam specialem ovium suarum cognitionem habeat. Ideo a majoribus nostris sapienter statutum est, ut parochi conficiant *Librum status animarum,* in quo omnes parochiani per vicos, domos et familias, descripti sint, ita ut illorum ætas, conditio et christiana pietas diligenter notentur, et adulti, qui primam fecerunt communionem et sacramentum confirmationis receperunt, secernantur a pueris qui catechizantur, aut ad scholam catecheticam frequentandam apti sunt (1). Hoc antiquum statutum expresse renovamus, et ab omnibus parochis observari volumus ; iis dumtaxat exceptis, quorum rationes Nobis probatæ fuerint. Quod ad advenas spectat, diligenter inquirant parochi, an sint catholici et matrimonio juncti.

(1) *Statuta Brugensia* sub Guilielmo de Bassery, an. 693, tit IV. § 1.

Ut *Liber status animarum* verum statum parochiæ exhibeat, debebunt parochi, post absolutam visitationem paschalem, eidem addere, et in eo mutare ea omnia quæ addenda vel mutanda esse observaverint. Annuam autem totius parochiæ visitationem, iis in locis ubi in usu est, abrumpere aut intermittere vetamus; desideramusque quamplurimum, ut laudabilis hæc consuetudo, ex qua summa in gregem utilitas dimanat, per universam diœcesim introducatur. Porro confessarii hic monendi sunt, ut pœnitentibus alienæ parochiæ, sibi tempore paschali confitentibus, testimonium dent institutæ confessionis, proprio parocho exhibendum.

In locis, ubi quæ in Pastorali Brugensi *de communione paschali* nº II præscripta sunt, sine notabili incommodo executioni mandari non possunt, saltem conficiatur, et ad secretariam episcopatus mittatur quotannis, definito tempore, status sequentis formæ :

Status fidelium parochiæ N. qui præcepto confessionis annuæ et communionis paschalis non satisfecerunt.

Inter pauperes:	Inter cives mediæ classis:	Inter divites:	Numerus totalis:
Circiter	Circiter	Circiter	

Exceptis fortasse majoribus parochiis, in quibus perturbatio inde oriri posset, nihil obstare videtur quominus ubique ii, qui præcepto paschali non satisfecerunt, nominatim Ordinario denuncientur, salvo in omnibus sigillo sacramentali.

§ 2.

De libris noxiis.

Juxta ea quæ in regula IV *Indicis librorum prohibitorum* sapientissime ordinata sunt, vigilet parochus, ut nullus, sine Ordinarii licentia, legat, aut apud se detineat, sacra Biblia vulgari

lingua conscripta, nisi versiones fuerint ab apostolica Sede approbatæ, aut editæ cum annotationibus desumptis ex sanctis Ecclesiæ patribus, vel ex doctis, catholicisque viris (1). Quod autem versiones approbatas attinet, videat an, spectata legentium indole et capacitate, hæc lectio ipsis noxia non sit; quo casu, jure naturæ tenentur ab ea abstinere. Totis pariter viribus conetur exscindere malorum librorum pestem; curet ut erigantur catholicæ bibliothecæ ad usum fidelium, bonique libri in populum, gratis spargantur (2). Ad tantæ utilitatis opus promovendum multum conducet, si parochus, in conferenda pecunia, suo præeat exemplo. Vigilet etiam parochus, ut quantum fieri potest, libri domorum mortuariarum non distrahantur, nisi prævie fuerint accurate examinati.

(1) *Additio ad Regulam IV.*

(2) Conf. Litteræ encyclicæ Episcoporum Belgii datæ 5 Augusti, anno 1843.

§ 3.

De spectaculis theatralibus, choreis, aliisque personarum utriusque sexus conventiculis, abrogandis.

Diligenter servent parochi ea quæ de hoc argumento infra proferentur, horum statutorum parte II. tit. V. art. 5.

§ 4.

De sacrificio pro grege offerendo.

Præter alias frequentes preces, quas pro ovibus suis Deo fundere tenentur, meminerint pastores, tam regulares quam sæculares (sub quibus etiam deservitores temporarii comprehenduntur), strictam sibi incumbere obligationem, omnibus diebus dominicis et de præcepto festivis, nec non in festis per indultum Pii VII, quoad solemnitatem in populo, abrogatis (1), Missam celebrandi pro grege suo. Quod si hoc munus per se obire nequeant, per alium adimplere tenentur.

(1) Conf. Litt. Episc. Brug. datam 15 Aprilis 1841.

§ 5.

De instructione populi.

Cum parochi aliique quibus animarum cura commissa est, præcepto divino teneantur oves suas verbi divini prædicatione pascere (1), merito statuit sacrosancta Tridentina synodus, ut « quicumque parochiales, vel alias « curam animarum habentes, ecclesias « quocumque modo obtinent, per se, « vel alios idoneos, si legitime impediti « fuerint, diebus saltem dominicis, et « festis solemnibus, plebes sibi com- « missas pro sua et earum capacitate « pascant salutaribus verbis; docendo « ea, quæ scire omnibus necessarium « est ad salutem; annuntiandoque eis, « cum brevitate et facilitate sermonis, « vitia, quæ eos declinare, et virtutes « quas sectari oporteat (2). » Curent itaque parochi, ut gravissimæ huic obligationi fideliter et ex animo satis-

(1) Conc. Trid. Sess. XXIII, cap. 1. *De reform.*
(2) Ibidem, Sess. V, cap. 2 *De reform.*

faciant, eo modo qui infra parte II, tit. 1 præscribetur. Porro non decet parochos quibus honor et officia parochialia præcipua jure proprio competunt, quique ob eminentem dignitatem, ob maturiorem ætatem et majorem experientiam, majori etiam auctoritate apud plebem gaudent, munus concionandi, saltem quoad magnam partem, in vicarios suos abjicere, quibus necessitas vacandi studiis theologicis incumbit, et minor inest aliquando in dicendo facultas, et in jubendo auctoritas.

Licet autem, juxta præsentem Ecclesiæ disciplinam, fideles nullo præcepto teneantur audiendi missam in ecclesia sua parochiali, aut ibidem audiendi prædicationem verbi Dei (1), *universos* nihilominus *ac singulos* diœcesanos nostros, cum S. Carolo Borromæo, *cohortamur, ac per viscera misericordiæ Jesu-Christi obsecramus, atque obtesta-*

(1) Ben. XIV *De syn. diœc.* l. XI. c. XIV. n° 10-13.

mur, ut frequenter Dominicis saltem, aliisque solemnibus festis diebus, ad suam quique parochialem ecclesiam conveniant, ubi a parocho, cui eorum cura commissa est, verbo Dei pascantur, fidei christianæ rudimentis, aliisque animarum saluti necessariis præceptis erudiantur, ad sanctissima Sacramenta religiosius percipienda instruantur (1).

§ 6.

De administratione Sacramentorum.

Quæcumque in PASTORALI BRUGENSI parochis prescribuntur circa Sacramentorum administrationem, ab iis et perpendi sæpius et fideliter servari volumus, non secus ac si essent his statutis ad litteram inserta.

§ 7.

De visitatione et cura infirmorum.

PASTORALE BRUGENSE officium paro-

(1) CONC. MEDIOL. PROVINC. VI. *De parocho, et parochiis.* Confer PASTORALE nostrum, tit. *De missa parochiali.*

chorum et vicepastorum in visitandis et curandis infirmis ita describit, ut sacerdos qui præscripta PASTORALIS exsequetur partes suas laudabiliter adimplebit. De hoc sacerdotum officio etiam mentio facta est supra, tit. II. art. V. § 3. nº 10. p. 56.

§ 8.

De cura pauperum et aliarum miserabilium personarum.

Serio consideret parochus se ministrum esse illius de quo dictum est : *Tibi derelictus est pauper : orphano tu eris adjutor* (1); et alibi : *Evangelizare pauperibus misit me, sanare contritos corde* (2); et iterum : *Pertransiit benefaciendo, et sanando omnes* (3). Quare frequenter, cum Tridentinis Patribus, recogitet sibi *præcepto divino mandatum esse, pauperum aliarumque miserabilium personarum curam paternam*

(1) Ps. H. X. 14.
(2) Luc. IV. 18.
(3) Act. X. 38.

gerere (1), ac proinde pauperes, præsertim infirmos, viduas, pupillos, orphanos, incarceratos, aliosque auxilio destitutos homines, a pastoribus suis opem, operamque peculiarem deposcere, ac singulari jure expectare. Ex quo sequitur, nosocomia, xenodochia, orphanotrophia, carceres, aut id genus alia loca, in quibus pauperes, aut miserabiles detinentur, speciali modo parochis commendata esse debere, omnemque ab his movendum esse lapidem, ut miserabilibus personis ejusmodi refugia, si necdum existant, pro cujusque loci necessitate, opportune erigantur, prævisis prudenter temporalibus mediis, atque efficiendo potius ut egenis, et religiosis quæ eisdem ministrant, victus et vestitus in perpetuum procurentur, quam ut magna pecuniæ vis in splendidis ædificiis construendis expendatur. Et quia soli vix possunt unquam hujusmodi instituta condere

(1) Sess. XXIII. cap. I. *De reform.*

et servare, magistratus civiles inducant ut, quantum per leges licet, eisdem faveant; et aliunde procurent ut pii fideles, ubi expedit, veluti administratores his institutis præficiantur, ac fundationes piæ sive antiquitus, sive recenter factæ sint, in favorem pauperum, fideliter exonerentur.

§ 9.

De concordia tuenda et retinenda.

Sciant tandem parochi se plerumque parum in vinea Domini excolenda profuturos, nisi animos subditorum suorum prudentia, honestate, mansuetudine, pietate, atque maxime discreto zelo omnia sua officia adimplendo, sibi devinctos habere perpetuo studeant. Si quod tamen ex humana fragilitate dissidium oriatur pastorem inter et vicepastorem, inter ipsos et custodem, ædit uos aut communitatis administratores, antequam dissidia cum plurimorum offensione et obloquio in paro-

chia spargantur, decanum sui districtus illico admoneant ut ipse, causa intellecta et mature perpensa, pacem et concordiam, si fieri potest, nulla interposita mora restituat.

TITULUS IV.

DE VICARIIS ET COADJUTORIBUS.

§ 1.

De residentia.

Vicepastores æque ac pastores ad residentiam obligantur, ut supra tit. III. art. II. dictum est. Sibi igitur culpæ ducant vel frequenter exire de parochia, vel quando necessitas aut utilitas exire suadet, non prius licentiam debitam obtinere, aut pastorem non tempestive admonere.

§ 2.

De reverentia et obedientia parocho exhibendis.

Quemadmodum parochi vicarios suos ut fratres, imo ut filios in Christo, diligere, illosque ut suos cooperatores coram Deo et populo honore afficere debent, quin nimiam in ipsos laboris sui partem abjiciant, ita et vi-

carios memores esse oportet, ut in iis quæ pastoralis officii sunt, parocho suo subsint et obediant, eique, tamquam superiori ac parenti, debitum honorem et obsequium præstent; imo et promptos se exhibeant ut, alacri animo, parochi vices suppleant, quotiescumque ad hoc fuerint rationabiliter invitati. Præsertim autem caveant vicarii a spiritu superbiæ et zelotypiæ, ex quo et temeraria judicia, et murmurationes, et inobedientiæ, et detractiones, et alia id genus pessima sequi solent; sciantque nonnunquam aliqua omittenda esse utilia propter bonum pacis. Ubi autem acciderit, quod speramus nunquam aut raro futurum, vicepastorem aliquem plus æquo a parocho suo gravari, volumus ut in ejusmodi casu, propter bonum pacis et ordinem hierarchicum, provisorie obediat, donec res ad decanum, vel ad Nos relata fuerit. Idem esto de matriculariis spiritualibus judicium. In parochiis autem ubi duo pluresve sunt vicarii, studeant

se invicem ad propriam sanctificationem excitare, fraternam fovere concordiam, alter alterius onera portare, invicem honore ac obsequio prævenire, in omnibus in Domino ad bonum et ad salutem animarum idem sentire atque idem velle, functionesque vicepastorales inter se, consulto pastore, ad majorem fidelium utilitatem, ex æquo et bono dividere.

§ 3.

De habitatione.

Servandus est mos, ubi viget, ut vicarius et coadjutor parocho cohabitent, nisi facultatem a nobis obtinuerint aliam sibi eligendi habitationem, quæ modesta esse debebit, et ab omni peccati et malæ suspicionis periculo remota.

§ 4.

De juribus vicepastorum et coadjutorum.

1. Quamdiu coadjutores quingentos francos ab ærario publico annue per-

cipient, nihil, præter mensam, a parocho exigere poterunt, si illi cohabitent; si vero ob rationes Nobis probatas, cum parocho non habitent, accipient a parocho cui inserviunt trecentos francos annue. Si gubernium coadjutoribus pensionem neget, pastor, præter mensam, solvet coadjutori suo summam ducentorum francorum.

2. Quando coadjutor celebrabit pro grege, parochus dabit ipsi quatuordecim asses pro honorario, quia functio hæc pastoralis est, quam implere debet coadjutor; vicepastori vero, qui coadjutor non est, dabuntur duo franci, nisi in particulari casu aliud stipendium ab Ordinario assignetur.

3. Quando coadjutor vel vicepastor missas exequiales celebrabit, jus habebit ad stipendium missæ cantatæ, prout in illo loco dari solet. In anniversariis vero fundatis pariter exigere tantum poterit stipendium missæ cantatæ, juxta taxam pro loco probatam, quamvis honorarium fundationis ma-

jus foret; sed si minus fuerit, hoc contentus erit.

4. In missis manualibus, tum votivis, tum *de Requiem*, etsi cantatis, totum stipendium debetur celebranti (1).

(1) Ben. XIV Constit. *Quanta cura*, t. I Bullarii n° 22.

TITULUS V.

DE CLERICIS INFERIORIBUS, ET JUVENIBUS ADMITTENDIS IN SEMINARIO.

§ 1.

De clericis admittendis ad sacros ordines.

Quum, juxta mentem concilii Tridentini, nemo ordinandus sit, nisi de vita et moribus ejus accurata facta fuerit inquisitio, et circa doctrinam præmissum examen, quumque memores esse debeamus moniti S. Pauli apostoli: *Manus cito nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis* (1), declaramus, abjecto omni humano respectu, Nos neminem, in inferiori aliquo gradu vel ordine constitutum, ad sublimiorem gradum promoturos, nisi quem vitæ probitas, et in sacra doctrina profectus tanti honoris dignum effecerint.

Ut autem Nobis de duplici hac dote

(1) I Tim. V, 22.

in ordinandis requisita constet, imprimis a præside seminarii nostri Brugensis, cujus hac in re conscientiam oneramus, testimonium de vita pia et sanctis moribus requiremus; deinde præcipimus ut clerici et alumni seminarii nostri non prius ad suscipiendos ordines aliquando admittantur quam coram Nobis, aut delegatis nostris, examen orale subierint, ut mos obtinet: et præterea bis in anno propositis ipsis quæstionibus circa argumenta a professoribus seminarii explicata, in scriptis respondeant. Primum examen instituetur circa quadragesimam; secundum, ante ferias, mense Augusto.

Et quia, præter remotam illam ad ordines præparationem, proxima etiam requiritur, ut clerici uberes ex sacra ordinatione fructus percipiant, volumus ut ordinandi omnes, quoties ad ordinationem vocati sunt, exercitia spiritualia obeant, quo se per orationem et animi recollectionem, ad digne suscipiendos ordines, et ad vitam

sanctiorem ducendam rite præparent.

Insuper in usum revocamus decretum concilii Tridentini, Sess. XXIII. cap. 5 *De reform.* et conc. prov. Mechliniensis anni 1607, tit. IX. cap. 3, quo præcipitur ut nomina eorum qui sacris ordinibus initiandi sunt, deinceps in propria ecclesia parochiali, die dominica, inter missarum solemnia, semel proclamentur sub formula sequentis tenoris : *Dominus N, filius N et N, præparat se, ut die .. mensis ... suscipiat sacrum ordinem subdiaconatus* (vel *diaconatus* aut *presbyteratus*)*; quare eum enixe commendamus vestris precibus, rogamusque et jubemus nomine Illust. Domini Episcopi, ut si quod noveritis impedimentum ob quod a suscipiendis sacris ordinibus repelli debeat, tempestive illud nobis vel Episcopo denuntietis.*

Tandem pastoribus animarum et concionatoribus præcipimus ut, circa ordinationum tempora, fideles e suggestu excitent ad ferventes ad Deum preces

fundendas, quo sanctos Ecclesiæ ministros suscitare, et dignos operarios in vineam suam mittere dignetur.

§ 2.

De juvenibus admittendis in seminario.

Quia profectus religionis et decus cleri postulant ut ii tantum alumni in seminario nostro admittantur, qui vitæ sanctitate et doctrinæ copia spem dant fore ut Ecclesiæ utilem operam aliquando præstent, Nobis statutum est, inter candidatos status ecclesiastici non adscribere, nisi juvenes, qui præter ceteras dotes, huic statui proprias, studia humaniora perfecerint, id est, qui per annos sex integros studuerint iis materiis, quæ, in minori seminario Rollariensi, studentibus tradi solent.

Juvenes qui, absoluto humaniorum cursu, in seminario nostro episcopali admitti desiderant, examen coram Nobis, aut deputatis nostris, statuto tempore et loco, subibunt.

Superiores collegiorum, singulis annis ante diem decimam mensis Augusti, præsidi seminarii transmittent litteras testimoniales, in quibus notabunt 1° examinandorum mores et indolem; 2° tempus quo studiis incubuerunt, et collegia in quibus eadem peregerunt; 3° quænam doctrinæ capita eis tradita sunt, et in quibus scientiis addiscendis potissimum profecerunt; 4° quo loco, duobus ultimis annis, nominati sunt in concertationibus litterariis, addito numero concertantium. Hoc autem testimonium in omni sinceritate, et absque personarum acceptione tradendum est, qua in re superiorum conscientiam oneramus.

Juvenes admissi in seminario clericalem habitum statim assument et perpetuo deferent. Nullus tamen eorum ad sacram tonsuram admittetur antequam per biennium, aut circiter, virtutum clericalium specimen in seminario dederit.

Disciplina seminarii, quam omnino

servari volumus, jubet ut alumni seminarii, post singulas ferias, ad Dominum præsidem afferant litteras testimoniales a pastore loci, in quo ferias egerunt, subsignatas et clausas, e quibus disci possit, utrum sacræ vocationis suæ memores, veluti seminarii alumnos et sacerdotii candidatos se in omnibus gesserint, nec ne. RR. DD. pastores minime latet, in tradendis hujusce modi testimoniis gravissimam sibi incumbere obligationem, siquidem per epistolas testimoniales aliqua ratione alumnos ad sacros ordines præsentare censentur, et de aptitudine ac merito ordinandorum dijudicare. Maxime igitur diœcesis universæ interest, ut in testimoniis scribendis, omni humana consideratione abjecta, veritati et conscientiæ suæ omnino consulant.

§ 3.

De cura adhibenda in formandis juvenibus ad statum ecclesiasticum.

Omnium doctorum una sententia est

maximi momenti esse ut, qui aliquando clero adscribendi sunt, in timore Domini, in scientia, in doctrina et in sanctitate a pueritia instituantur. Meminerint igitur minoris seminarii et collegiorum nostrorum superiores, hoc munus sibi maxime incumbere, ut studiosæ juventutis indolem, ad discendum aptitudinem, moresque mature et diligenter indagent. Si quos autem inter suos discipulos difficilioris, turbulenti et dominantis caracteris, aut minoris ad scientias necessarias acquirendas esse aptitudinis, aut etiam vitæ honestate et morum integritate minus commendabiles deprehenderint, seposita omni humana consideratione, auctoritate Nostra istius modi juvenibus notum faciant, nullam sibi spem affulgere, ut, absolutis humanioribus studiis, in majori seminario admittantur. (1).

(1) Conf. Litt. ad superiores collegiorum ecclesiast. diœcesis Brugensis. *Collect. epist. pastoral.* Ill. ac Rev. D. Boussen. t. I. p. 309.

TITULUS VI.

DE REGULARIBUS ET MONIALIBUS.

ARTICULUS I.

De perfectione religiosa assequenda.

Sæpe recogitent omnes et singuli utriusque sexus religiosi, quanta sibi, utpote illustriori portioni gregis Christi (1), ad perfectionem tendendi incumbat obligatio; studeantque ut, mundo et consanguineis omnibus ex animo renuntiantes, omnique amori proprio mortui, Christo Domino nostro soli vivant, qui eos sibi elegit, et cui soli omnem fidem suam spoponderunt.

Ad hunc finem ut secure pertingant, fideliter observent regulas sui ordinis vel congregationis, nec non ea quæ de vita religiosa rite instituenda in *Decreto de regimine monialium,* quod die 3 Junii anni 1851, in synodali congregatione decanorum, editum est, statuimus.

(1) S. Cypr. *De disciplina et habitu virginum*, n° 2.

ARTICULUS II.

De exemptione regularium.

Cum Sanctissimi Domini nostri voluntas sit, ut regularium, quos in Belgio iterum congregari contigerit, exemptio conservetur, *cujus utilitas,* ut loquitur Pontifex, *ecclesiasticis sanctionibus, longaque sæculorum plurium experientia, et vel ipso hæreticorum et incredulorum in illam odio comprobata est;* declaramus, superiores ordinum exemptorum gaudere ordinaria jurisdictione in sibi subditos religiosos, his sacramenta pœnitentiæ et Eucharistiæ, viaticum et extremam unctionem administrare posse ac teneri, defunctisque sepulturæ exequiarumque jura in suis sacellis vel ecclesiis persolvere. Religiosis æquiparantur novitii, famuli et commensales perpetui qui sunt sub obedientia superioris (1).

(1) Conf. Ferraris voc. *Sepultura*, n° 31.

ARTICULUS III.

De prima communione alumnorum in collegiis, monasteriis et monialium conventibus.

Seposita quæstione quæ inter canonistas controvertitur, an discipuli convictores commensalibus annumerandi sint, speciatim justisque de causis concedimus et statuimus, ut regulares proprie dicti, qui cum consensu Nostro scholas aut collegia aperuerint, discipulos omnes sive internos sive externos, modo interni per quatuor saltem menses collegium jam inhabitarint, externi vero illud frequentarint a sex circiter mensibus, ad primam communionem, certioratis tamen prius, saltem a bimestri, parochis, et ad communionem paschalem in ecclesiis vel sacellis suis admittere valeant, nec non ut discipulis, in scholis vel collegiis decumbentibus, sacrum viaticum et extremam unctionem administrent. Hasce autem facultates, sub iisdem conditionibus ex-

tendimus ad minus seminarium Rollariense. Licebit quoque, sub iisdem conditionibus, alumnis internis aliorum collegiorum ecclesiasticorum et scholarum monialium, suam instituere primam communionem in ecclesiis vel sacellis præfatarum domuum; imo et alumnis collegiorum ecclesiasticorum externis ibidem satisfacere præcepto communionis paschalis.

Porro superiores qui uti voluerint facultatibus hoc articulo quoad primam communionem concessis, ad amussim sequi tenebuntur quæ in PASTORALI BRUGENSI tit. *De prima puerorum communione*, nº III, præscribuntur.

ARTICULUS IV.

De administratione sacramentorum in ecclesiis regularium.

De jure regulares possunt in suis ecclesiis et sacellis sanctissimum Eucharistiæ sacramentum quotidie ministrare omnibus Christi fidelibus, excepta sola

die paschatis (1). Ab Ordinario approbati, possunt quovis die fidelium confessiones excipere, ita ut per eas impleatur præceptum annuæ confessionis (2). Quando autem confessionem alicujus infirmi exceperunt, tenentur parochum illico de re certiorem facere, ut deinde possit cetera sacramenta eidem tute conferre (3). Sufficit tamen ut certioratio hujusmodi fiat saltem per scripturam apud ipsum infirmum relinquendam (4). Tandem fideles in regularium ecclesiis et sacellis verbum Dei audire, et præcepto audiendi missam satisfacere possunt (5).

ARTICULUS V.

De concordia cleri regularis et sæcularis fovenda.

Cum omnes sacerdotes tam sæcula-

(1) Conf. Ben. XIV. *De syn. diœc.* l. IX. c. XVI. nº 3.
(2) Ibid. l. XI. cap. XIV. nº 4 et 5.
(3) Ibid. l. IX. cap. XVI. nº 9.
(4) Clemens X. Const. *Superna.* § 4.
(5) Conf. Ben. XIV. *De syn. diœc.* l. XI. cap. XIV. nº 8 et seq.

res quam regulares, eidem militiæ nomen dederimus, eamdemque omnes causam agamus, sub eodem Duce atque Imperatore Christo Jesu, omnium unus debet esse spiritus, cor unum et anima una. Quare, junctis, ut decet, dexteris atque animis, inter clerum sæcularem et regularem constanter vigeat pretiosa illa animorum consensio, qua nihil Deo gratius, nihil hominibus solet esse utilius.

ARTICULUS VI.

Nulla congregatio religiosa, aut sodalitas erigenda est inconsulto Episcopo.

Nulla congregatio religiosa, vel etiam schola fratrum vel sororum, in diœcesi nostra instituatur, vel de ea instituenda tractetur, nisi licentia a Nobis prævie obtenta fuerit. Id porro in erigendis piis sodalitatibus pariter servari volumus.

ARTICULUS VII.

De confessariis ordinariis et extraordinariis monialium.

Monialium vel sororum cujusvis or-

dinis vel congregationis religiosæ a Nobis aut a sancta Sede apostolica approbatæ, confessiones excipere deinceps liceat solis confessariis earum ordinariis et extraordinariis a Nobis constitutis vel approbatis, nisi aliter fieri jubeant statuta vel consuetudines monasterii legitime approbatæ. Confessiones monialium claustralium si aliter fuerint institutæ, invalidæ prorsus sint ac nullæ. Confessariis extraordinariis assimilabuntur presbyteri, tum sæculares, tum regulares, auctoritate Nostra missi ad quarumcumque monialium aut sororum domus, ut ibidem tradant stadium exercitiorum spiritualium, quo durante, omnes sorores professæ, novitiæ, et scholares, atque puellæ ibidem educationis causa commorantes, his presbyteris legitime confiteri poterunt.

ARTICULUS VIII.

De tempore confessionis instituendæ a monialibus.

Confessarii extraordinarii monialium

et sororum Nobis subjectarum quater in anno, non vero sæpius, nisi rogati et debite concessi, videlicet in singulis hebdomadis quatuor temporum, aut, iis impeditis, circa id tempus, sese præsentent, eisque tam superiorissæ quam ceteræ moniales, et novitiæ præsentes se sistant. Confessarii vero ordinarii, etiam monialium exemptarum, a confessionibus audiendis tunc omnino abstineant. Si qua autem monialis, maxime infirma, non ex animi levitate, neque ex indiscreta affectionis singularitate, extra prædicta tempora extraordinarium monasterii, vel peculiarem petat confessarium, illi ad quos spectat, videlicet superiorissa, director, aut confessarius ordinarius, haud se difficiles in eo concedendo præbeant (1), dummodo confessarius qui petitur, pro aliqua diœcesis parte sit simpliciter approbatus. Hujus tamen peculiaris confessarii concessionem,

(1) Conf. Ben. XIV Constitut. *Pastoralis curæ*, tom. II. vol. VI. p. 197. edit. Mechl.

extra casum gravis infirmitatis, Nobis reservamus pro monialibus claustralibus, quibus hunc in finem liber ad Nos semper patebit recursus. Liceat etiam monialibus quæ cum superiorissæ licentia ad tempus extra monasterium versantur, cuicumque nostræ diœcesis confessario confiteri.

ARTICULUS IX.

De confessario extraordinario a superioribus regularibus deputando.

Superiores regulares tenentur, saltem bis aut ter in anno, monialibus sibi subjectis extraordinarium offerre confessarium, ab Episcopo ad hoc approbatum, cui omnes moniales se sistere tenentur, prout supra dictum est. Quin imo optamus ut confessarius extraordinarius quater singulis annis confessiones monialium excipiat. Superiores tenentur quoque, saltem semel in anno, ad id munus eligere sacerdotem aut sæcularem, aut regularem alterius or-

dinis (1); imo et peculiarem concedere confessarium iis monialibus quæ in gravi infirmitate, vel in casu insuperabilis reluctantiæ adversus confessarium ordinarium, alium extra ordidinem petunt (2); quinimo illos hortamur ut, extra præfatos casus, justis monialium petitionibus benigne annuant (3).

ARTICULUS X.

De confessario extraordinario puellarum.

Puellis, quæ educationis causa in monasteriis commorantur, confessarii extraordinarii concedantur, non tantum in exercitiis spiritualibus, quæ eis quotannis tradi cupimus, sed insuper bis par annum. Confessarii autem ordinarii a confessionibus audiendis tunc omnino abstineant.

(1) Conf. Ben. XIV Constitut. *Pastoralis curæ*, tom. II. vol. VI. p. 202. edit. Mechl.

(2) Ibid. pag. 194.

(3) Ibid. pag. 198.

ARTICULUS XI.

Ne confessarii se immisceant negotiis monasterii.

Confessariis extraordinariis districte inhibemus ne, postquam officium suum impleverint, directioni monialium vel monasterii negotiis se immisceant. Hoc monitum valeat etiam pro confessariis ordinariis, qui monasterii directores non sunt.

ARTICULUS XII.

De gravitate et prudentia directorum monialium.

Monasteriorum directores ea se gerant morum gravitate, eaque prudentia, qua et omnem cum monialibus vitent familiaritatem frequentioremque ad eas accessum, et vel a minima erga quampiam earum caveant prædilectionis specie, quæ aliarum nata foret parere æmulationem.

ARTICULUS XIII.

De præcipuis officiis directorum monialium.

Monialium directoribus etiam sedulo vitandum est quidquid spiritum dominationis sapit. Quare non arbitrarie, sed juxta regulam laudabilesque monasterii consuetudines, totam domum gubernent : nihil innovent, ne sub prætextu quidem majoris boni, nisi accepta prius Episcopi licentia, quod pariter servare tenentur sacerdotes qui exercitia spiritualia tradunt; universim autem non licet directoribus se interiori domus regimini, et rebus et negotiis minimis, immiscere, aut auctoritatem superiorissæ labefactare, concedendo exempli gratia ea quæ sine licentia superiorissæ fieri non debent; aut libenter excipiendo quærelas. Si autem monasterii superiorissa in aliquo deficiat, privatim et amice admoneatur. Conferant tandem directores ea quæ de officiis eorum in decreto *De regimine monialium* cap. VIII præscripsimus.

PARS SECUNDA.

DE REBUS ECCLESIASTICIS.

TITULUS I.

DE DOCTRINA SEU PRÆDICATIONE VERBI DEI.

§ 1.

ARTICULUS I.

De prædicatione verbi Dei in ecclesiis regularium.

Meminerint regulares se sine licentia superiorum suorum, ac benedictione Episcopi, in ecclesiis ordinum suorum, et sine expressa licentia tam Episcopi, quam superiorum suorum, in ecclesiis alienis prædicare non posse, nec usquam omnino Episcopo contradicente (1).

(1) Conc. Prov. Mechl. III. tit. XI.

ARTICULUS II.

De licentia prædicandi verbum Dei obtinenda.

Pari aut majore ratione, sacerdotibus et diaconis sæcularibus nec sine licentia Ordinarii, nec eo contradicente, prædicare licet. Et pastores neminem omnino in ecclesiis suis concionari permittant, nisi de ejusmodi licentia ab Ordinario in scriptis concessa constet (1), vel aliunde pastor certior factus sit Episcopum consentire.

ARTICULUS III.

De concionibus habendis in Dominicis et diebus festivis.

In omnibus ecclesiis parochialibus et succursalibus, etiam in nostra civitate et oppidis, diebus dominicis et de præcepto festivis, habenda est concio aut major catechesis, sub missa post evangelium. Et quidem, in parochiis ubi duo pluresve sunt vicarii, præter con-

(1) Conc. Prov. Mechl. III, tit. XI.

cionem missæ parochialis, singulis dominicis, major per unum illorum sub alia missa institui debet catechesis, cujus loco concio haberi non potest, nisi illo die instructio catechetica fiat sub summo sacro. In locis autem ubi unus tantum est vicarius, singulis diebus dominicis et de præcepto festivis habeatur concio, et bis saltem in mense major instituatur catechesis. In iis vero parochiis, quibus solus deservit parochus, licet plurimum desideremus, ut singulis diebus dominicis concio habeatur sub summo sacro, et bis in mense instructio catechistica sub altera missa, aut vice versa; declaramus tamen nostræ satisfactum iri voluntati, si parochus singulis diebus dominicis, festisque de præcepto, concionem habeat, aut majorem instituat catechesim, alternatim sub summo et sub primo sacro; modo major catechesis bis saltem in mense fiat. Si autem una dumtaxat celebretur missa, bis saltem in mense major instituatur catechesis;

aliis vero dominicis et festis de præcepto habeatur concio (1).

In aliis publicis ecclesiis, bis saltem in mense, inter missarum celebrationem, habeatur concio vel instructio catechetica; ceteris autem dominicis et festis de præcepto lectio spiritualis. Noverint igitur sacerdotes qui oratoriis publicis præsunt se ad sermonem habendum coram populo singulis dominicis stricte obligari.

Porro nullus præsentis articuli ordinationes infringere præsumat, nisi in casu legitimi impedimenti, quod si diuturnum fore prævideatur, cura sit ut illud decano tempestive significet.

ARTICULUS IV.

Concio in majoribus festis post meridiem haberi potest.

Cum majoribus anni festivitatibus missa parochialis majore celebranda sit

(1) Conf. art. VII. Decreti lati in congregatione Decanorum anni 1841.

pompa, permittimus ut in festis Nativitatis Domini, Paschæ, Pentecostes, Omnium Sanctorum et Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis; in dominica Palmarum, et in solemnitate Corporis Christi ac Patroni loci, et in ecclesia Cathedrali quotiescumque est officium Episcopi, concio missæ parochialis in tempus pomeridianum differatur.

ARTICULUS V.

De recitandis publice precibus communibus.

Ut perniciosa præcipuarum fidei veritatum ignorantia procul pellatur, præcipimus ut semel in mense, in omnibus ecclesiis parochialibus, succursalibus, et oratoriis publicis, etiam in civitate nostra et oppidis, alta et lenta voce e suggestu recitentur fidei rudimenta, juxta formulam in PASTORALI BRUGENSI descriptam pag. 159. Recitatio precum communium illa die loco majoris catechesis fieri poterit, in

iis locis, in quibus major catechesis singulis hebdomadibus instituenda est.

ARTICULUS VI.

De non protrahendis nimium sacris concionibus.

Ut omnis fastidii ac obloquii tollatur occasio, fideliumque, quantum fieri potest, commodis prospiciatur, volumus, juxta mentem concilii Tridentini (1), ut, quotiescumque populus inter missarum celebrationem docendus est, id fiat cum brevitate et facilitate sermonis. Quare concio missæ parochialis, inclusis defunctorum commendationibus bannorumque proclamationibus, numquam horæ dimidium excedere poterit; optamus præterea ut, iis in locis ubi pauciores fiunt defunctorum commendationes, tertiam horæ partem raro excedat. Conciones quæ in aliis missis habentur intra horæ qua-

(1) Sess. V. cap. 2 *De reform.* — Conf. *l'Esprit de S. François de Sales*, part. II. cap. 26.

drantem absolvantur. Ædificationi fidelium male consuleret sacerdos qui ad protrahendam concionem festinanter celebraret : debita præparatione efficiendum est oratori sacro ut brevis simul et solidus sit.

ARTICULUS VII.

De prædicatione homiletica in dominicis et tempore quadragesimæ adhibenda.

Quia Christus non tantum loquendo sed etiam agendo nos docuit, sancta mater Ecclesia evangelia, quæ in dominicis et festis leguntur, ita disposuit ut tota series vitæ Salvatoris et præcipua doctrinæ ejus capita in unius anni decursu fidelibus, in sacris officiis proponantur. Mens igitur Ecclesiæ est, ut pastores animarum historiam evangelicam, juxta methodum sanctorum patrum, in modum homiliæ explanent. Ideo optamus ut concionatores sacri, alternis dominicis, evangelium diei, populo prælegant lingua vernacula,

et illud interpretentur. Aliis vero dominicis ita ordinari poterit prædicatio, ut intra quatuor aut quinque annorum spatium, corpus totius doctrinæ christianæ tradatur, servato, quantum fieri potest, ordine catechismi, ut in decreto *De ratione Catechismi tradendi* anno 1853, in synodali congregatione decanorum, præscripsimus. Diebus vero de præcepto festivis, concio instituatur circa mysterium quod illo die recolitur.

In his concionibus præparandis parochi et vicarii præcipue utantur *Catechismo concilii Tridentini*, multis Romanorum Pontificum laudibus celebrato, qui ob auctoritatem ab apostolica Sede nactam *Romanus*, et ob finem ad quem editus est *ad Parochos* est appellatus. Vix reperire est librum, quem pastores animarum in interpretanda sacra doctrina felicius adhibebunt.

Tandem experientia compertum est meditationes quadragesimales de ama-

rissima Passione Christi Domini, si per modum homiliæ fiant, maxime prodesse fidelibus. Omnes igitur concionatores sacros in Domino hortamur, ut hac ratione has meditationes instituant.

ARTICULUS VIII.

De prædicandi methodo.

Sacro concionatori ne aerem verberet, necessaria est aliqua præparatio; nemo igitur ex tempore prædicet, nimia fretus in seipso fiducia. Insuper oratores sacri debent et sono vocis et habitu corporis eam gravitatem præ se ferre quæ Dei legatum decet. Caveant ne seipsos prædicent potius quam Jesum Christum, aut fuco orationis, verbis peregrinis, locutionibus poeticis laudes hominum captent, aut triviali et demisso dicendi genere verbum Dei contemptui exponant; sed utantur sermone simplici, gravi, auditorum captui adtemperato, memores dicti sancti Augustini : *Melius est reprehendant nos*

grammatici, quam non intelligant populi (1).

ARTICULUS IX.

De prudentia oratoris sacri in definiendis obligationibus.

Quoniam quæ peccata mortalia sint, quæ vero venialia, nonnunquam difficillimum est invenire, periculosissimum definire (2), concionatores et catechistæ de gravitate peccatorum caute pronuncient. Sed et alius hic vitandus est scopulus. Quemadmodum veritati evangelicæ nihil demere licet, ita neque eidem ex arbitrio propria commenta addere. A scopo igitur aberraret concionator qui scholæ opiniones in fidei dogmata, consilia in præcepta, levesque obligationes in obligationes graves converteret.

(1) In Ps. CXXXVIII, nº 20. — Conf. *l'Esprit de S. François de Sales*, part. II. cap. 15.

(2) S. Aug. *de Civit. Dei*, l. XXI. cap. 26. nº 5.

ARTICULUS X.

De vitiis et peccatis impugnandis.

Concionatores ea vitia præcipue reprobent et ea peccata condemnent, quibus populum magis obnoxium, aut ad quæ procliviorem viderint; neminem tamen nominando, vel tacite designando, insectentur; neque in clericos sæculares, ordines religiosos, aut ullum in Ecclesia receptum pium institutum unquam invehantur. Caveant etiam ne concionando aliquid contumeliose adversus ullos superiores, unde ii in odium et contemptum apud populum adducantur, proferant; quin potius auditores moneant, ut præpositis etiam discolis obediant. Ceterum, in reprehendendis vitiis ita se gerant, ut omnes facile intelligant, se id solo pietatis et caritatis studio facere, nullatenus vero ex inordinato affectu, aut motivo mere humano.

ARTICULUS XI.

De argumentis non tractandis e suggestu.

Si quod forte dissidium parochum inter et parochianos, ecclesiæ æditnos, administratores mensæ pauperum, aut magistratus loci exortum sit, caveat parochus ne unquam de eo loquatur e suggestu. Taceat pariter perpetuo de parochianorum erga parochum ingratitudine, casualium aut pensionis subtractione aut similibus. Debet parochus persuasus esse, nihil magis ad firmandam suam auctoritatem conferre, nihil magis ad exercendum sacrum ministerium juvare, quam si in publicis et privatis colloquiis suam existimationem et amorem erga parochianos manifestet, et, dissimulatis injuriis, multum fructum afferre conetur in patientia.

ARTICULUS XII.

Nemo sacerdos famam suam publice tueatur, sine licentia Episcopi.

Licet præ ceteris, parochi aliique

clerici curam habere debeant de bono nomine, fierique possit ut teneantur, propter honorem sacri ministerii, famam suam publice defendere; cum tamen hujusmodi defensio raro necessaria sit aut proficua, et aliunde difficile sit in propria causa non cæcutire, justæque defensionis non excedere limites, omnibus sacerdotibus districte prohibemus publicam sui, tum e suggestu, tum in gazulis defensionem assumere, nisi a Nobis prævie ad hoc licentiam obtinuerint.

ARTICULUS XIII.

De non tractandis e suggestu rebus politicis.

Nullus præsumat e suggestu populo prælegere gazulas, aut tractare de rebus mere politicis.

ARTICULUS XIV.

De legendis quotannis litteris approbationis.

Quæ ad pleniorem concionatorum

instructionem adtinent, continentur in litteris approbationis, quæ saltem bis singulis annis attente perlegendæ sunt, et ab omnibus fideliter servandæ.

ARTICULUS XV.

Sensu S. Scripturæ litterali præcipue utendum est.

Quamvis SS. Patres, quin et sancta Mater Ecclesia, quandoque usi sint sensu S. Scripturæ ut aiunt *accomodatitio*, convenit ut sacri concionatores sobrie hoc sensu utantur, et fidelibus sensum litteralem et moralem potius proponant. Abusus esset manifestus si quis veluti sensum accomodatitium proferret eum qui cum S. Scripturæ sensu litterali pugnat (1).

ARTICULUS XVI.

De auxilio divino implorando et non despondendo animo.

Cum homo frustra plantet et riget,

(1) Conf. S. Bern. *Serm.* 51 *in Cantic.* Item *L'Esprit de S. François de Sales*, part. II. cap. 13.

nisi Deus incrementum dederit (1), sollicite curent concionatores ut fructum suorum laborum per humiles, frequentes, ferventesque preces Domino commendent, sibique ipsis sincerum devotionis ac pietatis spiritum comparent, sine quo proximo prodesse vix aliquando poterunt.

Porro duplex scopulus hic sacro oratori cavendus est, ut scilicet, nec inani gloriæ serviat, si prædicatio ei pro votis succedat, nec despondeat animo, aut a prædicando verbo Dei abhorreat, si populum indocilem et duræ cervicis experiatur. Tunc enim ipsi perpendenda sunt verba Domini : *Non est vestrum nosse tempora vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate* (2).

§ 2.

DE CATECHESI.

ARTICULUS I.

De obligatione tradendi catechesim.

Cum *sine fide impossibile* sit *placere*

(1) I Cor. III.
(2) Act. I.

Deo (1), soleatque primæ ætatis ignorantia, etiam per varios vitæ status, pessimos effectus producere, sæpius recogitent parochi quanta sibi instruendæ juventutis incumbat obligatio.

ARTICULUS II.

Quibus diebus tradenda vel non tradenda est catechesis minor.

Præter majorem, de qua supra dictum est, minor catechesis singulis dominicis per unum aut plures vicarios institui debet, hora congrua a parocho determinanda. Omitti tamen poterit in dominicis Palmarum, Resurrectionis Domini, in Albis, Pentecostes, Encæniorum, solemnitatis Corporis Christi et Patroni loci, nec non in iis dominicis in quas inciderint festa Natalis Domini, Circumcisionis, Assumptionis B. M. V., et Sanctorum Omnium, Adoratio perpetua, prima puerorum communio, ac preces quadraginta horarum.

(1) Hebr. XIII.

Præterea, in gratiam eorum qui præparantur ad primam communionem, quam in omnibus parochiis, etiam minoribus, quotannis institui præcipimus, peculiaris quavis hebdomada tradatur catechesis, ut dicetur articulo sequente.

ARTICULUS III.

De pueris præparandis ad primam communionem.

In Pastorali Brugensi præceptum est ut nomina puerorum, qui se præparant ad primam communionem sequenti anno faciendam, ante festum Ascensionis Domini catalogo inscribantur. Huic præcepto obtemperent animarum pastores, et omni qua poterunt industria efficiant ut pueri inscripti catechesim specialem, quæ singulis hebdomadibus pro ipsis traditur, sedulo frequentent. Quando autem tempus primæ communionis faciendæ instat, nempe a Septuagesima, catechesis frequentius explicetur, videlicet in civitatibus et op-

pidis singulis diebus; ruri autem, ubi ecclesia difficilius aditur, saltem quater per hebdomadam, et pueri inscripti his lectionibus interesse cogantur.

Deinde conentur pastores inducere pueros ut, facta prima communione, catechesim audire pergant, vel in scholis dominicalibus vel in ecclesia.

ARTICULUS IV.

De catechismo Mechliniensi unice adhibendo.

Quia varietas libellorum doctrinæ christianæ, sive catechismorum, magnam in discendo et docendo parit difficultatem, renovantes statutum concilii nostri provincialis (1), mandamus, ut parochi, aliique omnes ad quos spectat, unum et eumdem modum in docendo et discendo doctrinam christianam ubique teneant, tenerique faciant; eum scilicet, qui in catechismo Mechliniensi continetur; cui utiliter addetur li-

(1) Conc. Mechl. an. 1609. tit. XI, c. 5.

bellus cui titulus : *Onderwyzinge voor de eerste communie*, jussu Illust. D. Caïmo, Episcopi Brugensis, editus.

ARTICULUS V.

De catechizandi methodo.

Quamquam vix fieri possit ut omnes cathechistæ unam et eamdem prorsus methodum catechizandi sequantur, juvat tamen, præter ea quæ in *Decreto de institutione catechetica*, die 10 Maii 1853 dato, scripta sunt, capita non nulla præcipua, quæ ab omnibus commode servabuntur, hic peculiariter adnotare.

Quando pueri, hinc et inde sedentes, fuerint recensiti, catechista lectionem catecheticam in tres partes dividat. In prima parte, signum crucis clara et alta voce sibi efformet, quod statim omnes pueri imitentur; deinde aliquot ex junioribus, vel rudioribus, jussu ejus surgentibus, præcipiat idipsum facere. Deinde similiter alta voce, ac tractim

et distincte recitari jubeat orationem dominicam, salutationem angelicam, symbolum fidei, actusque fidei, spei, caritatis et contritionis; interrogetque eosdem pueros vel alios aliquanto peritiores de Deo uno et trino, de Persona incarnata, de Spiritu sancto, de mysterio Eucharistiæ, de animæ immortalitate, et similibus doctrinæ christianæ rudimentis, ut ignorantes instruat, ac respondere doceat, et responsa ad captum auditorum explanet. Et quia ea quæ historice narrantur, majore soleant a pueris aviditate arripi, melius intelligi ac facilius retineri, narret catechista identidem, sermone brevi et facili, historiam creationis mundi, lapsus hominis, redemptionis humani generis ac institutionis Ecclesiæ et cetera hujusmodi.

Transacto in hac prima lectionis parte circiter horæ quadrante, catechista seligat aliquot paria juvenum, jubeatque illos ex adverso stare, ac facto signo crucis, memoriter alta voce

ac distincte recitare lectionem assignatam ex catechismo, vel partem illius, ita ut unus interroget, alter respondeat, vicissimque sic sibi succedant: ipse autem catechista poterit subinde inter recitandum, illorum responsiones breviter repetere, et elucidare.

His absolutis, ad tertiam partem accedendum erit, quæ in eo consistit, ut catechista lectionem recitatam paulo fusius explicet, proponendo sibi ipsi brevissimas quæstiunculas ad illius clariorem intelligentiam, exemplisque ac similitudinibus dicta illustrando: deinde easdem quæstiunculas proponet capacioribus pueris, ut ad eas respondeant, timidos et verecundos adjuvando, verbumque unum aut alterum quandoque suggerendo, quibus responsionem subindicet; quam si puer compleverit, vel se aliquo modo intelligere significet, illum laudabit, et responsionem prosequetur, jubendo ut ille ipse vel alter puer aliquoties idem responsum repetat, donec ab

omnibus facile retineri possit. Primo autem interroget pueros qui acriori ingenio pollent, aut feliciori memoria, deinde rudiores, ita ut omnes, per vices, pro suis viribus, respondeant. Cura etiam ei sit ut, propositis non nunquam præmiolis, animos alumnorum suorum in dicendo excitet, et salubri emulatione inflammet. Tandem concludatur catechesis brevi ac practica instructione morali, ex mox explicatis deducta, quæ ad pueros, et ad adultos, si qui forte præsentes sint, æque dirigenda est.

His peractis, poterit assignari lectio eadem, vel alia in sequente catechesi explicanda, prout catechista expedire judicaverit.

Ceterum hæc catechizandi methodus, quam commendamus quidem, sed non servari præcipimus, pro diverso catechistarum genio, diversisque locorum, temporum ac personarum circumstantiis, utiliter mutari poterit. Sic ubi pueri catechizantur immediate

ante vesperas, præstabit mediam divisionis partem præmittere primæ, quæ addita tertiæ magis proderit parentibus aliisque ad divina officia adventantibus; sed inversa procedendum erit methodo in gratiam eorum qui post laudes in ecclesia remanent, ut ex catechesi puerorum fructum aliquem percipiant.

TITULUS II.

DE SACRAMENTIS.

ARTICULUS I.

Commendantur instructiones Pastoralis Brugensis.

Omnes diœcesis presbyteri sacro addicti ministerio, saltem semel in anno perlegant instructiones in PASTORALI BRUGENSI positas circa sacramentorum administrationem. Ad præcavendam autem in re tanti momenti negligentiam, volumus, ut prædictæ instructiones ad materiam annui concursus et examinis perpetuo pertineant.

ARTICULUS II.

De libertate confitendi servanda.

Ubi de sacramento pœnitentiæ agitur, parochi et alii confessarii pœnitentem nullum ad sibi soli confitendum inducant : imo etiam volentem id pro-

mittere, vel vovere, prohibeant : sed potius curent, ut, omni sublato partium studio, nemo dicere queat : *Ego sum Pauli; ego autem Apollo; ego vero Cephæ.* Itaque summopere caveant ne unquam manifestent sibi ingratum esse si quandoque sui pœnitentes apud alium sacerdotem confiteantur. Quod quidem maxime vitandum est respectu neo-communicantium, nupturientium et eorum qui SS. Viatico reficiendi sunt.

ARTICULUS III.

De edocendis nupturientibus.

Parochus edocebit nupturientes ea omnia quæ Pastorale Brugense edocenda præscribit, atque insuper modum sacramenti baptismatis in necessitate conferendi, addita gravi admonitione de obligatione baptizandi fœtus abortivos, primis etiam a conceptione mensibus. Hæc ipsis congrue ac prudenter proponi poterunt in examine prævio, de quo agitur in Pastorale, p. 136.

ARTICULUS IV.

De ritu deferendi SS. Viaticum.

Juxta Pastorale Brugense, et ordinationes provinciales (1), sacerdos sacram Eucharistiam ad ægrotos deferens, indutus esse debet superpelliceo et stola albi coloris, nisi ob aeris intemperiem, viarum difficultatem, aut nimiam loci distantiam, stolam solam patenter pendentem adhiberet (2); iisdem legibus præceptum est, ut sacerdos, si SS. Viaticum administraturus sit, tot particulas consecratas deferat, quot sufficiunt ut una saltem supersit ad ecclesiam cum magna veneratione reportanda (3), nisi fortasse longitudo vel difficultas itineris obstaret (4). Declaramus per nimiam loci distantiam aut longius iter non posse intelligi distantiam quartæ dumtaxat partis leucæ belgicæ.

(1) *Conc. prov. Mech.* III. tit. VII. cap. 3.
(2) *Antiq. Statut. diœc. Brug.* tit. III. § 16.
(3) *Conc. prov.* ibid. cap. 4.
(4) Rit. Rom. tit. *De com. infirm.* et Past. Brug. pag. 87. n° IX.

ARTICULUS V.

Parochi monendi sunt de administrato Viatico.

Vicarii, qui alicui infirmo SS. Viaticum aut extremam Unctionem administrarunt, tenentur illico parochum ea de re certiorem facere.

ARTICULUS VI.

De iterandis proclamationibus antenuptialibus.

Ubi proclamationes antenuptiales antiquiores fuerint tribus mensibus, novæ proclamationes semel fieri debebunt (1), nulla tamen pro novis hisce proclamationibus peti possunt honoraria.

ARTICULUS VII.

De loco in quo proclamationes bannorum faciendæ sunt.

Proclamationes bannorum tam spon-

(1) *Antiq. Statut. diœc. Brug.* tit. III. § 25.

si quam sponsæ, qui in aliis parochiis habitaverunt, etiam ibidem semel fieri debent, nisi eas jam a sex mensibus deseruerint. Dum autem banna proclamantur in parochia ubi neuter desponsatorum habitat, non exigatur, ratione proclamationis et testimonii desuper expediti, ultra francum cum dimidio. A pauperibus vero nihil prorsus exigatur.

ARTICULUS VIII.

Parochus sponsæ matrimonium celebrabit.

Decentia et praxis communis exigunt, ut matrimonium contrahatur coram parocho sponsæ : huic praxi in posterum omnes se conformabunt (1).

(1) *Antiq. Statut. diœc. Brug* tit. III. § 34.

TITULUS III.

DE SACRIFICIO MISSÆ.

ARTICULUS I.

De sanctitate et devotione in celebrando requisitis.

Quia in Ecclesia nihil tremendo altaris mysterio sanctius est, oportet ut sacerdotes illud cum maxima, qua fieri potest, cordis munditia, cum interioris pietatis sensu, et exterioris devotionis specie celebrent (1).

ARTICULUS II.

De servandis rubricis Missalis romani.

Rubricæ Missalis romani, quæ in ipsomet celebrationis actu servandæ præscribuntur, quandoquidem sine peccato omitti aut in alias mutari non possint (2), diligenter serventur tum

(1) Conc. Trid. sess. XXII. *Decret. de sacrif. missæ.*
(2) S. Liguori. l. VI. nº 399.

a sacerdote celebrante, tum ab assistentibus ministris. Non recedat igitur ab altare subdiaconus, post cantatam epistolam, aut diaconus, cantato Evangelio, vel alteruter ante absolutam missam, nisi in casu veræ necessitatis. Non licet igitur discedere ab altare ad excipiendas confessiones fidelium in ecclesia.

ARTICULUS III.

De temporis spatio S. Missæ consecrando.

Cum ex unanimi doctorum sententia temporis spatium celebrationi missæ privatæ impendendum, ad tertiam horæ partem saltem pertingere debeat (1), tanti mysterii dignitati, fidelium ædificationi, ipsorumque celebrantium devotioni consulere volentes, omnes sacerdotes in Domino hortamur, ut sacratissimæ huic actioni peragendæ horæ dimidium, aut circiter, impendant, et ultra horæ dimidium illam

(1) Ben. XIV. *De sacrif. missæ.* sect. II. n° 217.

non protrahant; sic enim nec velocitate scandalum, nec tarditate adstantibus tædium parient.

ARTICULUS IV.

De præparatione et gratiarum actione ante et post missam faciendis.

Peracto missæ sacrificio, sacerdos in summa animi recollectione, nisi forte urgens caritatis officium, aliave res gravis momenti quæ moram non patitur, eum alio vocet, aliquamdiu pro accepto munere Deo gratias agat vel in sacristia, vel in ipso templo; quo præsertim tempore silentium ab omnibus in sacristia servetur necesse est. Idem servetur circa præviam ad celebrandum sacrum præparationem.

ARTICULUS V.

Sine toga talari celebrare aut assistere non licet.

Nemo, etiam ruri, in loco suæ residentiæ ecclesiam accedat ad celebran-

dum, aut celebranti proxime assistendum, nisi indutus toga talari. Insuper in omnibus sacristiis una saltem habeatur toga talaris, in gratiam sacerdotum extraneorum qui, missam celebraturi, non togati adveniunt.

ARTICULUS VI.

Licentia celebrandi ignoto sacerdoti concedenda non est.

Vago ac ignoto sacerdoti missam celebrare non liceat, nisi ostensis testimonialibus vel commendatitiis litteris sui Ordinarii, vel Ordinarii loci, quibus celebrandi licentia ei conceditur. Ignotus autem habendus non est, quem persona fide digna commendat.

ARTICULUS VII.

Dum cantatur Credo, celebrans missam non prosequatur.

Sacerdos missam non prosequatur eo tempore quo a choro cantatur symbolum, quod totum a principio ad fi-

nem usque cantandum est, etiam diebus ferialibus.

ARTICULUS VIII.

De pane et vino in S. Sacrificio adhibendis.

Quoniam experientia compertum est, multiplicem hodiedum in farinis vendendis fraudem committi, fierique posse ut farinæ triticeæ ita immisceantur aliæ materiæ, etiam in notabili, imo et majore quantitate, ut fraus discerni vix queat : sedulo advigilabunt decani et parochi ut panis qui adhibetur ad sacrosanctam Eucharistiam conficiendam, sit vere triticeus. Quare panem hunc non ement nisi a personis probatæ fidei ac vere catholicis, quæ et ipsæ non farinam ement, sed triticum, idque purissimum, quod molendum tradent antiquæ probitatis viro. Optandum est ut panis eucharisticus non nisi a monialibus conficiatur.

Nec minor cura habenda est de vino quod tremendo altaris sacrificio inservire debet. Hoc vinum, quod generosum esse debet et purum, non ematur nisi a vinariis timoratis, qui semper præmonendi sunt de usu ad quem destinatur. Caveant quoque sacerdotes, ne unquam ad celebrandum vino acido utantur.

TITULUS IV.

DE DIVINIS OFFICIIS.

ARTICULUS I.

De modo celebrandi officia divina.

Cum in officio divino negotium nobis sit cum Deo ipso, qui Rex regum est et Dominus dominantium, omnino curandum est, ut illud semper debita reverentia et gravitate peragatur. Et licet, pro diversitate festorum, cantus magis aut minus festivus esse debeat aut lentus, maxime tamen cavendum est, ne unquam sit clamosus aut præcipitatus, præcipue autem in officio defunctorum.

ARTICULUS II.

De horis quibus divina officia celebranda sunt.

Officia divina semper hora statuta incipiant, et eadem semper hora ce-

lebrentur non tantum in dominicis et diebus festis, sed etiam in diebus feriatis; dato prius, opportuno tempore, signo consueto, ut fideles eisdem interesse possint. Non licet divinorum officiorum horam statutam in diebus festis aut dominicis mutare, ob lusus publicos, vel festa profana celebranda, sine licentia Episcopi. Prohibemus etiam ne parochus et vicarius frequenter eodem tempore missam celebrent, nisi in illa ecclesia sufficiens numerus missarum pro commoditate parochianorum celebretur. Sciant autem vicarii aliique quorum interest sacerdotes, parochis jus competere ordinandi tempora missarum aliorumque divinorum officiorum in sua ecclesia, diebus etiam ferialibus.

ARTICULUS III.

Inter primam missam et solemnem intercedat sufficiens temporis intervallum.

Diebus dominicis et festis inter primam et solemnem missam sit sufficiens

temporis intervallum, ut qui primæ interfuerunt, domum reversi, mittere possint eos, qui solemnem sunt audituri, et remotiores ab ecclesia, ad eam tempestive accedere queant.

ARTICULUS IV.

De festis in quibus divinum officium celebrandum est sicut in dominicis.

In festis Circumcisionis, Epiphaniæ, et SS. Corporis Christi, Conceptionis, Nativitatis, Annuntiationis et Purificationis B. M. V., item in festis S. Stephani, SS. Petri et Pauli, et Patroni loci, necnon secundo die Paschæ et Pentescostes, et die Adorationis perpetuæ, non vero in festis SS. Josephi, Joannis Baptistæ, Michaelis et Martini, officia divina celebrentur prout diebus dominicis.

ARTICULUS V.

De litaniis et officiis in honorem B. M. V. celebrandis.

Deinceps in litaniis Lauretanis, post

Regina Sanctorum omnium, addetur : *Regina sine labe concepta, ora pro nobis;* in festo autem Conceptionis, præfationi missæ, post *Et te, in Conceptione,* addetur : *immaculata;* dominica vero secunda adventus, in omnibus ecclesiis una celebrabitur missa eaque principalis, de immaculata Conceptione B. M. V., ut in ipsomet festo, more votivo, cum commemoratione dominicæ, *Gloria*, *Credo*, et ultimo evangelio S. Joannis (1).

ARTICULUS VI.

Qualis musica in divinis officiis adhibenda sit.

Gravis tantum, et quæ pios affectus moveat musica, officio divino adhibeatur, non vero lasciva, vel sæcularis.

ARTICULUS VII.

Mulieres in ecclesiis non cantent.

Nulla femina, præterquam in ec-

(1) Decret. SS. D. Gregorii XVI, de 10 Januarii 1840.

clesiis monialium, cantet in ecclesia, vel organa pulset, aut pulsanti administret, nec ulla deinceps admittatur ut campanistam agat.

ARTICULUS VIII.

De cantu gregoriano in missis defunctorum adhibenda.

Cantus gregorianus qui in missis defunctorum adhiberi solet, vi quadam mira devotionis sensum excitandi præditus est, qua minime gaudet musica vulgaris. Optamus igitur ut in missis de Requiem, cantus gregorianus semper adhibeatur, et musica vulgaris repudietur, nisi fortasse brevis cantilena ad consecrationem cantetur.

ARTICULUS IX.

Missa exequialis celebrari nequit tempore missæ parochialis.

Licet diebus dominicis et festis cantari possit missa exequialis præsente corpore, modo non obstet magna diei

solemnitas, id tamen nunquam fiat eo tempore quo celebrari solet missa parochialis.

ARTICULUS X.

De ritu expositionis SS. Sacramenti.

Quamquam pie et religiose admodum in Dei Ecclesiam inductus sit mos, ut divina Eucharistia fidelium adorationi publice exponatur atque in processionibus reverenter et honorifice per vias et loca publica circumferatur (1), ne tamen ob nimiam hujusmodi frequentiam populi devotio et reverentia erga tantum sacramentum aliquando tepescat, quæ sequuntur ordinanda esse existimavimus :

1. Permittimus ut, donec aliter provisum fuerit, processiones cum SS. Sacramento, quæ in parochiis fieri consueverunt, sive per plateas, sive in ambitu ecclesiæ vel cœmeterii, deinceps etiam fiant; sed prohibemus ne

(1) Conc. Trid. sess. XIII. cap. 5. *De Euch.*

novæ processiones instituantur sine expresso Nostro consensu in scriptis obtento.

2. Permittimus ut SS. Sacramentum exponatur (ut taceamus de festo SS. Corporis Christi ejusque octava, de die Adorationis perpetuæ, et de precibus quadraginta horarum), in missa parochiali vel conventuali in festivitatibus Nativitatis, Resurrectionis et Ascensionis Domini, Pentecostes, Assumptionis B. M. V., Omnium Sanctorum et in solemnitate Patroni ecclesiæ; in festo SS. Nominis et SS. Cordis Jesu, ubi erecta est alterutrius confraternitas; SS. Rosarii, ubi pariter existit ejus confraternitas; in una cujuslibet mensis dominica; in missa primæ communionis puerorum, atque in ea quæ feriis quintis cantatur in honorem SS. Sacramenti.

3. Benedictio cum sacra Pyxide, sine expositione SS. Sacramenti, dari potest post primam et ultimam diei missam, in ecclesiis in quibus viget hæc

consuetudo; ea tamen lege, ut ante et post benedictionem semper a sacerdote fiat thuris incensatio, per ministrum, toga et superpelliceo indutum, tempore benedictionis continuanda. Id etiam stricte observandum est dum benedictio cum SS. Sacramento datur in ejusdem expositione et repositione.

4. Sciant parochi hic a Nobis non prohiberi expositionem et benedictionem SS. Sacramenti in laudibus vespertinis, quas tamen vetamus eadem die iterari in eadem ecclesia, sub quocumque prætextu. Porro ut omnia secundum ordinem fiant, serveturque per totam diœcesim una agendi ratio, sequentem in laudibus vespertinis ritum volumus observari. In primis sex ad minus cerei (quod in omni expositione servari debet), in altari ardeant; sacerdos, supra superpelliceum vel rochetum, indutus sit stola et cappa aut saltem velo humerali, albi coloris, si laudes a vesperis separentur; secus vero, coloris officio diei convenientis,

assistantque ei duo acolythi et thuriferarius, induti toga et superpelliceo. Cantentur vero : 1° strophæ *O salutaris* et *Uni trinoque* sub expositione SS. Sacramenti; 2° hymnus vel antiphona de Venerabili, cum ℣℣. *Panem de cœlo*, et *Dominus vobiscum*, ac Oratione *Deus, qui nobis sub sacramento;* 3° antiphona, hymnus aut litaniæ de B. M. V. cum ℣. et Oratione de tempore; 4° præter psalmum pro publica aliqua necessitate ab Ordinario præscriptum, addi poterit hymnus de sancto aut mysterio, cujus fit festum vel commemoratio, vel responsorium aut psalmus pro fidelibus defunctis, cum ℣. et Oratione congruente; 5° sub repositione SS. Sacramenti cantentur strophæ *Tantum ergo,* et *Genitori Genitoque.*

TITULUS V.

DE FESTORUM CELEBRATIONE.

ARTICULUS I.

Quænam festa solemniter celebranda sunt.

Parochorum est omni qua possunt zelo efficere ut populus fidelis dominicas et dies festos fideliter colat. Festa autem præter dominicas hodie ex præcepto servanda sunt quatuor, videlicet festum Nativitatis et Ascensionis Domini, Assumptionis B. M. V. et Omnium Sanctorum. Cetera festa, quæ olim celebrabantur, indulto Pii VII, 9 Aprilis anni 1802 concesso, abrogata aut translata sunt.

ARTICULUS II.

Quid diebus dominicis et festis vendere liceat.

Etsi diebus dominicis et festis mercatus prohibeatur, aliquid tamen in-

dulgendum est iis qui res ad victum quotidianum necessarias aut utiles divendunt, modo id non fiat tempore divinorum officiorum, et apothecæ tota die clausæ maneant. Idem dicendum est de iis qui vendunt vestes, calceos et alia hujusmodi ruricolis et famulis, qui aliis diebus sibi necessaria commode comparare non possunt.

ARTICULUS III.

De nundinis in diebus dominicis et festis non agendis.

Etsi concilium provinciale III (1) jubeat ut nundinæ annuæ, quando in diem festum incidunt, in alium diem transferantur, ex inveterato more fit ut nundinæ nonnullæ, præsertim ex eis quæ ultra hebdomadam protrahuntur, etiam in dominicis et diebus festis, magno populi concursu celebrentur. Hæc quum ita sint, cogimur præcipere non quæ optamus sed quæ fieri possint, ne pejora accidant. Ideo,

(1) Tit. XIII. cap. 4.

quamdiu mos ille, omnino abrogandus, Nobis invitis perdurabit, volumus ut apothecæ, tabernæ, macelli etc. claudantur saltem tempore divinorum officiorum, ut nemo negotiandi causa ab officiis frequentandis avertatur.

ARTICULUS IV.

Clerici in celebrandis festis, fidelibus exemplo sint.

Cum clericos dierum festorum observantissimos esse deceat, omnes et singulos de clero nostro hortamur in Domino, ut diebus dominicis et de præcepto festivis, omnibus divinis officiis, tum mane, tum vespere, devote intersint, illisque diebus, excepto necessitatis casu, quem, quantum fieri potest, conentur etiam prævenire aut declinare, ab itinerando abstineant.

ARTICULUS V.

De supprimendis tripudiis et aliis excessibus.

Inter abusus, quibus dies Domini

profanari solent, non infimum tenent locum spectacula theatralia, tripudia, aliaque id genus juvenum et puellarum conventicula, in quibus, experientia teste, et virtus periclitatur, et multæ animæ lugendum in modum solent enecari. Quare parochos et concionatores hortamur, ut, eo zelo simul et ea prudentia, adversus hujusmodi congregationum abusus fortiter insurgant; quibus eas, si fieri potest, supprimant ac prorsus exstinguant, aut saltem quidquid in iis peccatorum mortalium periculi proximi est, conentur amovere; memores se Deo in die judicii rationem reddituros de excessibus, qui sua ipsorum conniventia aut timiditate acciderint. Ceterum, in tribunali pœnitentiæ eas, circa præsentem materiam, sequantur regulas, quas probati tradunt auctores (1).

(1) Conf. inter alios Bouvier *Dissertat. in sext. Decal. præcept.* cap. IV. art. 3. § 3.

TITULUS VI.

DE JEJUNIIS.

ARTICULUS I.

Dies quibus jejunium obligat rencensentur.

Jejunium præcipitur in hac diœcesi, non modo per totam Quadragesimam, et in Quatuor Temporibus; verum etiam in vigiliis Nativitatis Christi, Pentecostes, Assumptionis B. M. V, Omnium Sanctorum et Solemnitatis SS. Petri et Pauli (1). Hoc tamen ultimum jejunium servandum est feria sexta, si festum SS. Apostolorum incidat in sabbatum (2).

ARTICULUS II.

De diebus abstinentiæ servandis.

A quo Sedes apostolica abstinentiam

(1) Decret. Card. Caprara, de 9 April. 1802 et 21 Jun. 1804.

(2) Decret. S. R. C. de 18 Sept. 1838.

a carnibus in festo S. Marci, et tribus diebus Rogationum per triennalem dispensationem, ut videtur renovandam, abrogavit, et Pius IX concessit Episcopis Belgii facultatem dispensandi fideles, id postulantes, ab abstinentia a carnibus in sabbatis in quibus non est jejunandum, legi abstinentiæ satisfaciunt fideles, qui abstinent a carnibus omnibus feriis sextis anni, feriis quartis et diebus sabbati quadragesimæ, feria V in cæna Domini, diebus quatuor temporum, et in vigiliis, articulo præcedenti indicatis, dummodo licentiam manducandi carnes in sabbato petierint. Dispensatio abstinentiæ in sabbatis in quibus non jejunatur semel petenda est, ut videre est in epistola encyclica Episcoporum Belgii data die 28 Julii anni 1853. Dispensatio autem hæc ad eos non spectat qui voto vel professione abstinentiæ lege ligantur, et clero consulitur, ut legem hanc servet, non petita dispensatione, nisi ob causam specialem, ut hac in re si-

cut et in ceteris virtutibus christianis exercendis, piis fidelibus exemplo suo præluceat.

Porro in festo Nativitatis Domini, quando in feriam sextam incidit, carnes comedere omnibus licitum est, qui voto vel professione non impediuntur (1). Ab eodem etiam festo, usque ad festum Purificationis B. M. V. inclusive, in sabbatis usus carnium permittitur ex consuetudine. In reliquis vero sabbatis anni, quando non jejunatur, edere licet adipem et jusculum carnium : non tamen farcimina, intestina et extremitates, ut aiunt, animalium (2).

(1) Cap. ult. de *Observat. jejunii.*

(2) Rescript. SS. D. Gregorii XVI, de die 28 Jan. 1835.

TITULUS VII.

DE INDULGENTIIS.

ARTICULUS I.

De usu indulgentiarum fovendo.

Indulgentiarum usus, teste Tridentino (1), christiano populo est maxime salutaris. Parochi igitur hunc usum in parochia sua, quantum possunt promoveant, populum edocendo modum lucrandi indulgentias magis obvias, frequenter annunciando eas, quæ ab Ecclesia fidelibus occasione festorum offeruntur; erigendo confraternitates, quibus indulgentiæ adnexæ sunt, præcipue autem confraternitatem SS. Sacramenti, quam in omnibus parochiis existere et florere decet, et confraternitatem SS. Rosarii; in quibus regendis servandum est Decretum datum 25 Maii anni 1852. Fructus præcipuus

(1) Sess. XXV. Decret. *De indulgent.*

propositarum indulgentiarum et confraternitatum sit usus frequens sacramentorum. In promulgandis autem indulgentiis caveatur quidquid lucrum aut quæstum sapit.

ARTICULUS II.

Non promulgentur indulgentiæ novæ sine licentia Ordinarii.

Nemo præsumat novas indulgentias publicare aut proponere, nisi de licentia Ordinarii. Eadem cautela adhibenda est in introducendis novis pietatis et devotionis exercitiis.

TITULUS VIII.

DE EXORCISMIS.

Circa exorcismos faciendos aut denegandos sacerdotes servent ea quæ in PASTORALI BRUGENSI præscribuntur.

TITULUS IX.

DE CONFERENTIIS ECCLESIASTICIS.

ARTICULUS I.

De recollectione menstrua et conferentiis ecclesiasticis instituendis.

Inter media quibus præcipue spiritus ecclesiasticus fovetur, et vita sacerdotalis sanctificatur, recensenda sunt non tantum exercitia spiritualia, quæ supra commendavimus, sed etiam recollectio menstrua, in qua vita præterita ad examen vocatur et pia proposita confirmantur, et conferentiæ ecclesiasticæ, quæ renovandæ pietati, et studiis

sacris consecrantur. Conferentiarum profecto maximus fructus erit, si recte instituantur, imprimis autem earum ope studia theologica foventur, praxis uniformior in exercendo sacro ministerio introducitur; si abusus in populo timeantur, facilius, suavius, efficacius præcaventur; vel si vigeant, de medio tolluntur; tandem in clero viget pretiosa illa animorum unio, quam Christus Dominus suis discipulis tantopere commendavit. Quare ex corde optamus, ut menstruæ parochorum conferentiæ, in quibusdam locis injuria temporum interruptæ, ubique instaurentur, sic ut nemo ab iis excludatur, nemo, nisi legitimo detentus impedimento, ab iisdem abesse velit.

ARTICULUS II.

De numero conferentiarum.

Parochorum erit tot conferentias instituere, inter se, quot requiruntur, ut numerus membrorum singularum

conferentiarum non sit æquo major aut minor.

ARTICULUS III.

De assignandis conferentiæ sequentis argumentis.

Quoties conferentiæ membra convenere, assignent argumenta ex S. Scriptura, ex theologia, et ex rubricis in proxima conferentia tractanda, et proponant quæstiones quarum solutio tunc dabitur.

ARTICULUS IV.

Singulæ conferentiæ regulas suas habeant.

Singulæ conferentiæ regulas sibi conficiant circumstantiis accommodatas, quas Nostræ approbationi subjiciant.

ARTICULUS V.

De temperantia et frugalitate in conferentiis servandis.

Initio prandii, quod frugale sit o-

portet, nec ultra duas horas protrahi poterit, legetur caput ex epistolis S. Pauli ad Timotheum et Titum; refectionem claudet lectio unius capitis ex secundo libro de Imitatione Christi.

ARTICULUS VI.

De conferentiis vicepastorum.

Vicarii, aliique sacerdotes qui inter se conferentias instituere voluerint, quod quidem ut faciant, optamus, eas juxta regulas pastoribus in hoc statutorum titulo præscriptas, instituent.

TITULUS X.

DE ECCLESIIS, EARUM SUPELLECTILI, COEMETERIIS ET PRESBYTERIIS.

ARTICULUS I.

De non ædificandis ecclesiis sine licentia Episcopi.

Quia canones vetant ne nova templa absque Episcopi auctoritate erigantur, nemo in nostra diœcesi de nova ecclesia vel de novo sacello publico ædificando, aut vetere novis constructionibus amplificando vel ornando aliquid statuat vel moliatur absque licentia Nostra. Licentia autem hæc non concedetur, nisi nova ædificia juxta regulas artis construenda sint, et partes quæ alicui ædificio adduntur, cum stylo hujus ædificii concordent; id porro semper observandum est, sive pars ecclesiæ interna, sive externa reparanda sit.

ARTICULUS II.

Stylus architecturæ gothicus commendatur.

Stylus architecturæ qui vocatur gothicus aptissimus est, qui in ædificandis ecclesiis, adhibeatur; ideo optandum est, ut ecclesiæ quæ deinceps ædificabuntur, juxta purissimas hujusce styli regulas construantur.

ARTICULUS III.

Ecclesiæ novæ fornicibus lapideis tegantur.

Quæ in posterum ædificabuntur ecclesiæ, lapideis, si fieri possit, fornicibus instruantur, ut si accidat, quod Deus avertat! tectum comburi, interior saltem pars ædificii ab incendio præservetur. Eadem de causa procurandum est, ut ab interiore parte turris nullus detur immediatus ad superiorem ecclesiæ partem aditus; qui sit adsit, omnino invigilandum est ut

porta ferrea, in medio parietis sita, a qua omne prorsus remotum sit lignum, constanter occludatur.

ARTICULUS IV.

Spiracula, refrigerandi causa, in ecclesiis construantur.

In ecclesiis in quibus æstivo tempore calor solet esse nimius, unum alterumve in laqueari conficiatur spiraculum, quod hieme diligenter claudi debet. Horum autem spiraculorum tegumentum ferreum sit oportet in ecclesiis, quæ lapideis fornicibus instructæ sunt.

ARTICULUS V.

De munditia sacrorum œdificiorum servanda.

Ecclesiæ sartæ tectæ serventur, isque in eis resplendeat nitor, qui domum Dei decet.

ARTICULUS VI.

De conservandis monumentis et ornamentis ecclesiarum.

Nulla monumenta, quæ in ecclesiis

habentur, destruantur unquam; nulla ornamenta antiquitate vel eleganti forma conspicua vendantur, distrahantur, aut novis induantur formis, sine prævia Ordinarii licentia.

ARTICULUS VII.

De picturis et sculpturis non temere approbandis.

Si quando nova pictura aut sculptura in templo collocanda sit, prius exemplar illius Nobis vel decano districtus exhibeatur, quam pictor aut sculptor manum operi admoveat.

ARTICULUS VIII.

De cura sacristiæ impendenda.

Sacristia, quam solida fornice instructam esse convenit, ad meridiem, si fieri potest, ædificetur, sed ubicumque tandem sita sit, a pluvia et humiditate immunis servetur. Hunc in finem curari omnino debet ut aer in ea opportune renovetur.

ARTICULUS IX.

De recondendis noctu vasis sacris et SS. Eucharistia.

Ad præcavenda furta sacrilega, in omnibus sacristiis abditum conficiatur decens, siccum munitumque densa porta lignea, ferro per totum contecta, in quo asserventur vasa ecclesiæ argentea. In hujus quoque abditi ornata parte, sub vesperam reponatur SS. Eucharistia, quæ per diem in ecclesiæ tabernaculo recondi debet, nisi forte, ob locorum situm, SS. Sacramentum in tabernaculo ecclesiæ etiam noctu tuto servari posset.

ARTICULUS X.

De conservandis diligenter ecclesiæ ornamentis.

Ornamenta divino cultui dicata, semper sint munda, et non lacera, atque ita in sacristiæ scriniis vel cistis decenter complicata serventur, ut nec rugas, nec maculas contrahant, quod certe accideret, si promiscue projicerentur.

ARTICULUS XI.

Nomina patroni et Episcopi appendantur in sacristia.

In sacristia appendenda est, loco patenti, tabula in qua magno caractere inscriptum sit nomen Patroni vel tituli ecclesiæ, et nomen Episcopi.

ARTICULUS XII.

De rebus sacris, utensilibus et documentis fideliter custodiendis.

Litteræ authenticæ SS. reliquiarum, indulgentiarum et confraternitatum, in unum colligatæ, diligenter asserventur cum aliis ecclesiæ munimentis et libris, quin horum quidpiam parochus in domum suam transferat, nisi addita schedula, qua hæredibus constare possit hæc ad ecclesiæ fabricam pertinere. In locis vero ubi sacristia est humidior, parochus has litteras authenticas cum aliis ecclesiæ munimentis, in presbyterio sollicite conservet

in capsula ad hoc destinata, clave obserata et prædicta schedula instructa.

Cetera utensilia, instrumenta et documenta a parochis fideliter custodienda recensentur supra, part. I. tit. II. *De decanis*. art. V. § 1. p. 43.

ARTICULUS XIII.

Sepultura ecclesiastica denegetur indignis.

Si, ut nonnunquam accidit, magistratus civilis juberet cadavera eorum qui sepultura ecclesiastica donari non possunt in terra sancta tumulari, parochus ne id faciat suadere conetur. Si magistratus nec monita audire, nec rationibus acquiescere, nec precibus cedere velit, parochus ministerium suum ita deneget, ut nunquam activam opponat resistentiam, nec propterea cœmeterium violatum declaret, nisi fortasse ageretur de sepultura non baptizati aut excommunicati vitandi : quo casu ad Nos quam primum rem deferet.

ARTICULUS XIV.

De ædificiis et bonis pastoratus conservandis.

Parochi invigilare debent ne detrimentum ullum afferatur sive ædibus, sive prædio, sive aliis bonis, quibus ut pastores utuntur; aut ulla servitus in successorum suorum præjudicium creetur (1). Ceterum his bonis uti tenentur tanquam boni patres-familias (2), et compensare quidquid detrimenti iis sua culpa attulerint (3).

ARTICULUS XV.

De reparationibus opportune faciendis.

Sciant parochi se, ex dispositione legis civilis (4), ad eas teneri ædium pastoralium reparationes, quas locativas vocant (5); ceteræ reparationes pa-

(1) Decret. de 30 Decembris an. 1809. art. 44, et *Cod. civil.* art. 614.

(2) *Cod. civil.* art. 601.

(3) Decret. an. 1809. art. 44.

(4) Ibid. et art. 21 Decret. de 6 Novembris an. 1813.

(5) Describuntur hæ reparationes art. 1754, 1755 et 1756 *Cod. civil.*

rochiæ aut municipio (*à la commune*) incumbunt (1). Porro si parochi necessarias reparationes locativas facere neglexerint, tenebuntur ipsi, aut eorum heredes, harum omnium impensas solvere (2).

ARTICULUS XVI.

De jure parochi in ligna cædua.

Si quæ sint in fundo pastorali ligna cædua (*bois taillis*), ea parochus cædere poterit annis consuetis. Si autem contingat beneficium pastorale vacare antequam consuetum ea succidendi tempus advenerit, successori cedent, uti et ea ligna, quæ parochus suo tempore succidere neglexisset, nulla huic aut ejus hæredibus soluta compensatione (3).

Grandiores autem arbores parochus cædere non potest (4); fructiferas ta-

(1) Decret. an. 1809. art. 44 et art. 21 Decret. de 6 Novembris 1813.
(2) Decret. 1809. art. 44.
(3) *Cod. civil.* art. 590.
(4) Ibid. art. 592.

men demortuas, vel casu dejectas aut confractas accipit, sub onere substituendi eis arbores novas (1).

ARTICULUS XVII.

Fructus naturales et mixti cedunt successori.

Fructus naturales et mixti (qui in jure civili vocantur industriales), pendentes e ramis vel radicibus initio ususfructus, cedunt novo parocho, sine ullo onere compensationis laboris et seminum faciendæ; at pariter, ipso defuncto, aut recedente a beneficio, nec ipsi nec heredibus ipsius, ullum jus competit sibi vindicandi hujusmodi fructus, aut exigendi qualemcumque compensationem (2).

ARTICULUS XVIII.

Quæ addita sunt ædificia, beneficio accrescunt.

Si parochus nova ædificia fecerit,

(1) *Cod. civil.* art. 594.
(2) Ibid. art. 585.

aut antiqua restauraverit vel ornaverit, hæc beneficio accrescunt, quin inde ipsi aut heredibus ullum jus obtinendæ compensationis obveniat.

Tamen poterunt auferri a parocho, vel ab ipsius heredibus, specula, picturæ, flores rari aut valde pretiosi, aliaque adjecta ornamenta, sub onere restituendi domum et hortum in pristinum statum (1).

(1) *Cod. civil.* art. 599.

TITULUS XI.

DE SCHOLIS.

ARTICULUS I.

De erigendis scholis christianis.

Quia salus Reipublicæ fere unice pendet a pia educatione et recta institutione puerorum, oportet ut scholæ christianæ a clero et fundentur et promoveantur, quotquot necessariæ sunt ad juventutem, spem scilicet Ecclesiæ et civilis societatis, christianis moribus imbuendam. Hac in re nos movere etiam debent hostium religionis catholicæ juges conatus ad publicam puerorum institutionem sibi vindicandam. Nostrum enim est his conatibus obsistere, curando ut in omnibus parochiis scholæ vere christianæ erigantur et florescant (1).

(1) De officio cleri in regendis scholis et magistris earum admonendis salutaria monita tradunt Episcopi Belgii in Litteris suis encyclicis, datis die 26 Januarii anni 1843. Conf. *Collect. epist. pastoral. Ill. ac Rev. D. Boussen.* t. IV. p. 5.

ARTICULUS II.

De eligendis bonis magistris scholarum.

Imprimis cura habenda est ut magistri et magistræ qui scholis præsunt et doctrina competente et morum integritate sese commendent. Qua enim ratione docere possent quæ ipsi non didicerunt, aut pueros ad pietatem informare a qua ipsi alieni sunt? Melius est sane nullam habere scholam, quam magistros imperitos aut non sincere christianos in schola adhibere.

ARTICULUS III.

De sollicitudine qua scholæ prosequendæ sunt.

Parochus omnibus scholis suæ parochiæ, paterno affectu invigilare debet, et alumnos datis præmiis, magistros autem consilio et frequenti visitatione ad majora excitare. Operæ pretium est ut ludimagistros sibi devinciat, quo libentius desideriis ejus

satisfaciant. Si ipse pastor scholam instituerit non potest ideo ceteras opprimere, aut impugnare, nisi manifeste in detrimentum fidei aut morum cedant. Adeoque nullus puer a prima communione arcebitur unquam ea de causa, quod scholam a parocho designatam non frequentet, si aliunde et doctrinam fidei calleat, et dignus sit qui ad sacram mensam admittatur.

ARTICULUS IV.

De visitandis scholis.

Quamquam munus visitandi scholas inspectoribus ecclesiasticis, præsertim cantonalibus, ut aiunt, demandatum sit, parochi nihilominus tenentur scholas suæ parochiæ frequenter visitare, ut magistros in tradenda sacra doctrina dirigant, auctoritatem suam confirment, et amorem puerorum sibi lucrentur. Decani, in visitatione canononica, inquirent utrum pastores hac in re partes suas generose agant. (1).

(1) Vid. supra p. 56.

ARTICULUS V.

De scholis pravis non tuendis.

Scholæ in quibus magistri vel magistræ pietatem verbo et exemplo non inculcant, aut boni mores ac disciplina et vigilantia desiderantur, a clero non protegantur aut visitentur, quin imo, cum consensu Ordinarii, prius expostulato, doctrinam christianam tradere in eis recuset, ut magistri et magistræ resipiscant et scholæ aliquando reformentur.

TITULUS XII.

DE SCHOLIS DOMINICALIBUS.

ARTICULUS I.

De erigendis scholis dominicalibus.

Pueri, juvenes et adolescentes non pauci artificio alicui, aut laboribus domesticis a parentibus addicti per hebdomadam, scholas quotidianas adire non possunt. Vehementer cupimus, ut pastores in quorum parochia nulla hactenus exstitit schola dominicalis, juxta decreta primi concilii provincialis (1), in gratiam eorum scholam dominicalem in sua parochia quam primum instituant, et eam majori qua poterunt sollicitudine promoveant. Vix enim dici potest quot salutis fructus proferant scholæ dominicales ubicumque florent (2).

(1) Tit. XVII.

(2) Conf. Regulæ scholis dominicalibus civitatis Brugensis, a venerabili prædecessore nostro præscriptæ, in *Collect. epist. pastoral.* t. II. p. 142.

ARTICULUS II.

Ars legendi et scribendi in scholis dominicalibus tradenda est.

Etsi scholæ dominicales præcipue institutæ sint ut juventus doctrinæ christianæ principiis bonisque moribus imbuatur, cura nihilominus sit, ut qui eas frequentant artem legendi etiam atque scribendi, computumque arithmeticum edoceantur.

ARTICULUS III.

Pueri et puellæ edoceantur a magistris sui sexus.

Expedit ut in scholis quibusvis pueri et puellæ a magistris sui sexus erudiantur : quod si fieri non possit, masculi saltem horis diversis et locis distinctis, seorsim a puellis instruantur. Si ne ita quidem res agi potest, pastoris erit sedulo invigilare ne periculosi abusus sensim irrepant.

ARTICULUS IV.

Pauperes cogantur filios suos ad scholas mittere.

Parochi e suggestu, et privatim parentes opportune moneant, ut pueros suos ad scholas quotidianas et dominicales mittant. Et quia pauperes plerumque institutionem filiorum suorum parvi pendunt, quantum per civiles leges licet, per subtractionem eleemosynarum mensæ pauperum cogantur, quas habent proles, ad has scholas quotidie mittere.

ARTICULUS V.

De excitanda discipulorum æmulatione.

Tandem, cum ad optimam juventutis institutionem multum conferat, si pueri ad scholarum ac catecheseos frequentationem alliciantur præmiolis et munusculis, quorum distributio ex ærario publico parochiarum aut oppidorum, vel ex ipsorum parochorum

et parochianorum liberalitate fieri solet; optamus ut pia hæc praxis in omnibus parochiis admittatur et a parochis verbo et exemplo promoveatur.

CONCLUSIO STATUTORUM.

Et hæc quidem de disciplinæ ecclesiasticæ capitibus in diœcesi Brugensi maxime servandis statuenda esse existimavimus; superest ut clerici et sacerdotes omnes de his statutis perpetuo intelligant, quæ de similibus monitis dilecto discipulo suo Timotheo scribebat Apostolus : *Hæc meditare, in his esto!*

FINIS.

INDEX

STATUTORUM DIOECESIS BRUGENSIS.

Epistola Ill. ac Rev. Episc. Brugen. ad clerum de servandis statutis. . . . III

Epistola Ill. ac Rev. D. Boussen, primæ editioni Statutorum olim præfixa. . XXI

PARS I. De personis ecclesiasticis. . . 1

TITULUS I. De vita et honestate clericorum. 1

Præfatio. De externa conversatione clericorum, juxta concilium Tridentinum. 1

Caput I. De his quæ a clericis præstanda sunt. 3

Art. I. De habitu ecclesiastico. . . . 3

Art. II. De vita sancta et exemplari. . 5

Art. III. De recitando divino officio. . 7

Art. IV. De oratione mentali facienda. 8

Art. V. De exercitiis spiritualibus obeundis. 10

Art. VI. De scientia ecclesiastica acquirenda. 11

Art. VII. De studio theologiæ dogmaticæ et moralis instituendo. 13

Art. VIII. De theologia ascetica et vita spirituali addiscendis. 15

Caput II. De his quæ a clericis vitanda sunt. 16

Art. I. De otio, lusu et compotationibus vitandis. 16
Art. II. De impedimentis castitatis sacerdotalis fugiendis. 17
Art. III. De ancillis quæ sacerdotibus inserviunt. 18
Art. IV. De balneis marinis non quærendis. 20
Art. V. De vitando accessu tabernarum. 20
Art. VI. De tabernis, compotationibus et commessationibus fugiendis. . . 22
Art. VII. Prohibentur choreæ, comœdiæ et spectacula. 24
Art. VIII. De lusu cavendo. 25
Art. IX. Ne clericus quis supplicio damnatorum adsit, aut artem medicam vel chirurgicam exerceat. 26
Art. X. De mercatura et negotiis sæcularibus non agendis. 27
Art. XI. De avaritia et prodigalitate fugiendis. 28
Art. XII. De servanda fraterna caritate et discordia fugienda. 30
TITULUS II. De archipresbytero et decanis christianitatum. 32
Art. I. De decanatibus. 32
Art. II. De honore decanis exhibendo. 40
Art. III. De officiis decanorum. . . . 40
Art. IV. De visitatione decanali. . . . 42

Art. V. Quid decani in suis visitationibus inquirere debeant. 42
§ 1. De statu ecclesiæ materiali, et de suppellectili ejus. 43
§ 2. De officio et cultu divino. . . . 50
§ 3. De parocho et variis ejus obligationibus. 53
§ 4. De vicepastore, de custode, de magistris fabricæ et de statu populi. . 58
Art. VI. De facultatibus decanorum. . 61
Art. VII. De distributione sacrorum Oleorum. 65
§ 1. De tempore quo sacra Olea distribuenda sunt. 65
§ 2. De ritu quo SS. Olea distribuenda sunt. 66
Art. VIII. De congregationibus decanorum. 69
TITULUS III. De parochis. 71
Art. I. De obligationibus parochorum in genere. 71
Art. II. De residentia. 72
Art. III. De ovium cognitione. . . . 74
§ 1. De libro status animarum et de communione paschali. 74
§ 2. De libris noxiis. 77
§ 3. De spectaculis theatralibus, choreis, aliisque personarum utriusque sexus conventiculis, abrogandis. . 79

§ 4 De sacrificio pro grege offerendo. . 79
§ 5. De instructione populi. . . . 80
§ 6. De administratione sacramentorum. 82
§ 7. De visitatione et cura infirmorum. 82
§ 8. De cura pauperum et aliarum miserabilium personarum. 83
§ 9. De concordia tuenda et retinenda. 85
TITULUS IV. De vicariis et coadjutoribus. 87
§ 1. De residentia. 87
§ 2. De reverentia et obedientia parocho exibendis. 87
§ 3. De habitatione. 89
§ 4. De juribus vicepastorum et coadjutorum. 89
TITULUS V. De clericis inferioribus et de juvenibus admittendis in seminario. . 92
§ 1. De clericis admittendis ad sacros ordines. 92
§ 2. De juvenibus admittendis in seminario. 95
§ 3. De cura adhibenda in formandis juvenibus ad statum ecclesiasticum. . 97
TITULUS VI. De regularibus et monialibus. 99
Art. I. De perfectione religiosa assequenda. 99
Art. II. De exemptione regularium. . 100
Art. III. De prima communione alumnorum in collegiis, monasteriis et monialium conventibus. 101

Art. IV. De administratione sacramentorum in ecclesiis regularium. . . 102
Art. V. De concordia cleri regularis et sæcularis fovenda. 103
Art. VI. Nulla congregatio religiosa, aut sodalitas erigenda est inconsulto Episcopo. 104
Art. VII. De confessariis ordinariis et extraordinariis monialium. . . . 104
Art. VIII. De tempore confessionis instituendæ a monialibus. 105
Art. IX. De confessario extraordinario a superioribus regularibus deputando. 107
Art. X. De confessario extraordinario puellarum. 108
Art. XI. Ne confessarii se immisceant negotiis monasterii. 109
Art. XII. De gravitate et prudentia directorum monialium. 109
Art. XIII. De præcipuis officiis directorum monialium. 110

PARS II. De rebus ecclesiasticis. . . 111

TITULUS I. De doctrina seu prædicatione verbi Dei. 111
§ 1. *De prædicatione.* 111
Art. I. De prædicatione verbi Dei in ecclesiis regularium. 111

Art. II. De licentia prædicandi verbum Dei obtinenda. 112
Art. III. De concionibus habendis in Dominicis et diebus festivis. 112
Art. IV. Concio in majoribus festis post meridiem haberi potest. 114
Art. V. De recitandis publice precibus communibus. 115
Art. VI. De non protrahendis nimium sacris concionibus. 116
Art. VII. De prædicatione homiletica in dominicis et tempore quadragesimæ adhibenda. 117
Art. VIII. De prædicandi methodo. . . 119
Art. IX. De prudentia oratoris sacri in definiendis obligationibus. . . . 120
Art. X. De vitiis et peccatis impugnandis. 121
Art. XI. De argumentis non tractandis e suggestu. 122
Art. XII. Nullus sacerdos famam suam publice tueatur, sine licentia Episcopi. 122
Art. XIII. De non tractandis e suggestu rebus politicis. 123
Art. XIV. De legendis quotannis litteris approbationis. 123
Art. XV. Sensu S. Scripturæ litterali præcipue utendum est. 124

Art. XVI. De auxilio divino implorando et non despondendo animo. . . . 124
§ 2. *De catechesi.* 125
Art. I. De obligatione tradendi catechesim. 125
Art. II. Quibus diebus tradenda vel non tradenda est catechesis minor. . . 126
Art. III. De pueris præparandis ad primam communionem. 127
Art. IV. De catechismo Mechliniensi unice adhibendo. 128
Art. V. De catechizandi methodo. . . 129
TITULUS II. De sacramentis. 134
Art. I. Commendantur instructiones Pastoralis Brugensis. 134
Art. II. De libertate confitendi servanda. 134
Art. III. De edocendis nupturientibus. 135
Art. IV. De ritu deferendi SS. Viaticum. 136
Art. V. Parochi monendi sunt de administrato Viatico. 137
Art. VI. De iterandis proclamationibus antenuptialibus. 137
Art. VII. De loco in quo proclamationes bannorum faciendæ sunt. 137
Art. VIII. Parochus sponsæ matrimonium celebrabit. 138
TITULUS III. De sacrificio missæ. . . . 139
Art. I. De sanctitate et devotione in celebrando requisitis. 139

Art. II. De servandis rubricis Missalis romani. 139
Art. III. De temporis spatio S. Missæ consecrando. 140
Art. IV. De præparatione et gratiarum actione ante et post missam faciendis. 141
Art. V. Sine toga talari celebrare aut assistere non licet. 141
Art. VI. Licentia celebrandi ignoto sacerdoti concedenda non est. 142
Art. VII. Dum cantatur Credo, celebrans missam non prosequatur. 142
Art. VIII. De pane et vino in S. Sacrificio adhibendis. 143
TITULUS IV. De divinis officiis. . . . 145
Art. I. De modo celebrandi officia divina. 145
Art. II. De horis quibus divina officia celebranda sunt. 145
Art. III. Inter primam missam et solemnem intercedat sufficiens temporis intervallum. 146
Art. IV. De festis in quibus divinum officium celebrandum est sicut in dominicis. 147
Art. V. De litaniis et officiis in honorem B. M. V. celebrandis. 147
Art. VI. Qualis musica in divinis officiis adhibenda sit. 148

Art. VII. Mulieres in ecclesiis non cantent. 148
Art. VIII. De cantu gregoriano in missis defunctorum adhibendo. 149
Art. IX. Missa exequialis celebrari nequit tempore missæ parochialis. . 149
Art. X. De ritu expositionis SS. Sacramenti. 150
TITULUS V. De festorum celebratione. . 154
Art. I. Quænam festa solemniter celebranda sunt. 154
Art. II. Quid diebus dominicis et festis vendere liceat. 154
Art. III. De nundinis in diebus dominicis et festis non agendis. 155
Art. IV. Clerici in celebrandis festis, fidelibus exemplo sint. 156
Art. V. De supprimendis tripudiis et aliis excessibus. 156
TITULUS VI. De jejuniis. 158
Art. I. Dies quibus jejunium obligat recensentur. 158
Art. II. De diebus abstinentiæ servandis. 158
TITULUS VII. De indulgentiis. . . . 161
Art. I. De usu indulgentiarum fovendo. 161
Art. II. Non promulgentur indulgentiæ novæ sine licentia Ordinarii. . . . 162
TITULUS VIII. De exorcismis. . . . 163
TITULUS IX. De conferentiis ecclesiasticis. 163

Art. I. De recollectione menstrua et conferentiis ecclesiasticis instituendis. . 163
Art. II. De numero conferentiarum. . 164
Art. III. De assignandis conferentiæ sequentis argumentis. 165
Art. IV. Singulæ conferentiæ regulas suas habeant. 165
Art. V. De temperantia et frugalitate in conferentiis servandis. 165
Art. VI. De conferentiis vicepastorum. 166
TITULUS X. DE ECCLESIIS, EARUM SUPELLECTILI, COEMETERIIS ET PRESBYTERIIS. . . 167
Art. I. De non ædificandis ecclesiis sine licentia Episcopi. 167
Art. II. Stylus architecturæ gothicus commendatur. 168
Art. III. Ecclesiæ novæ fornicibus lapideis tegantur. 168
Art. IV. Spiracula, refrigerandi causa, in ecclesiis construantur. 169
Art. V. De munditia sacrorum ædificiorum servanda. 169
Art. VI. De conservandis monumentis et ornamentis ecclesiarum. 169
Art. VII. De picturis et sculpturis non temere approbandis. 170
Art. VIII. De cura sacristiæ impendenda. 170
Art. IX. De recondendis noctu vasis sacris et SS. Eucharistia. 171

Art. X. De conservandis diligenter ecclesiæ ornamentis. 171
Art. XI. Nomina patroni et Episcopi appendantur in sacristia. 172
Art. XII. De rebus sacris, utensilibus et documentis fideliter custodiendis. . 172
Art. XIII. Sepultura ecclesiastica denegetur indignis. 173
Art. XIV. De ædificiis et bonis pastoratus conservandis. 174
Art. XV. De reparationibus opportune faciendis. 174
Art. XVI. De jure parochi in ligna cædua. 175
Art. XVII. Fructus naturales et mixti cedunt successori. 176
Art. XVIII. Quæ addita sunt ædificia, beneficio accrescunt. 176
TITULUS XI. De scholis. 178
Art. I. De erigendis scholis christianis. 178
Art. II. De eligendis bonis magistris scholarum. 179
Art. III. De sollicitudine qua scholæ prosequenda sunt. 179
Art. IV. De visitandis scholis. . . . 180
Art. V. De scholis pravis non tuendis. . 181
TITULUS XII. De scholis dominicalibus. . 182
Art. I. De erigendis scholis dominicalibus. 182

Art. II. Ars legendi et scribendi in scholis dominicalibus tradenda est. . . 183
Art. III. Pueri et puellæ edoceantur a magistris sui sexus. 183
Art. IV. Pauperes cogantur filios suos ad scholas mittere. 184
Art. V. De excitanda discipulorum æmulatione. 184
Conclusio Statutorum. 185